OMNIVM LVX CIVIVM
MDCCCLII
MDCCC LXXVIII

BOSTON
PUBLIC
LIBRARY

ISAAC & CLARA ENGEL FUND

very rare Franciscan document

BQV 100 .F7
1750

THE FRANCISCANS
HOLY FAMILY FRIARY
232 SOUTH HOME AVENUE PITTSBURGH, PA. 15202
TELEPHONE: 761-2550

October 13, 1970

TO WHOM IT MAY CONCERN.

This is to confirm that William Salloch has purchased our collection of rare books, including those formerly in the Library of the Franciscan Fathers of Avalon, Pa., and that such books, bearing our library stamps, are his legal and rightful property.

Rev. Richard Portasik, ofm.
Rev. Richard Portasik, O.F.M.
Guardian

85. (St. Francis) CAPITULUM GENERALE LONGE OMNIUM HACTENUS CELEBRATORUM PER TOTUM ORDINEM S.P.N. FRANCISCI . . . Romae Habitum in Templo S. Mariae de Ara Coeli, die 16 Maii, 1750. With large folding plate. 4to, vellum. Rome 1751. $75.00

In May, 1750, the 500th anniversary of the foundation of the Order of St. Francis was celebrated in Rome, and the General Chapter convened in the Church of St. Mary of Ara Coeli to celebrate that event. Pope Benedict XIV presided; there were altogether fourteen sessions; their minutes are given and the important resolutions of the meetings are printed here in full.

A large folding plate showing the full session, with the pope presiding, is bound in with the book, a medal with Benedict XIV's portrait, commemorating the event, is engraved on a separate plate.


BENEDICTO XIV P. O. M.
Ob Comitia Generalia FF Minorum XVIII Kal. Iun. MDCCL in Templo Aracoelitano
Sua Praesentia et Praesidentia Illustrata
F. Petrus Joannetius de Molina tanti Pontificis auspiciis Minister Generalis renunciatus, et ex electis secundum Regulam LXXXII
Suo totiusque Ordinis nomine D. O. C.
Centesimum Quadragesimum quintum Capitulum Generale totius Ordinis FF Minor Romae An. Jubilaei MDCCL celebratum,
Praesidente Sanctissimo D.N. BENEDICTO XIV P O M Disquisitoribus a SANCTITATE SUA delectis Eminentissimis, ac Reverendissimis
DD F Joanne Antonio Gualterio Urbis Vicario, Silvio Valenti a Secretis Status, Hieronymo Columna Ordinis Protectore, et
Regia Celsitudine Emi Henrici Benedicti Mariae Clementis Ducis Eboracensis S. R. E. Cardinalibus Assidentibus Illmis
ac Revmis Josepho Maria Ferroni Negotiorum Regularium, et Episcoporum a Secretis, Josepho Livizzani a Supplicibus
Libellis, Vincentio Malvezzi Aulae Pontificiae Praefecto, Clemente Argenvilliers Auditore Sanctissimi, aliisque Praesulibus
ac Nobilibus Viris Pontificem comitantibus, in quo renunciatus fuit totius Ordinis S P N Francisci Min. Generalis
P P Petrus Joannetius de Molina, Provinciae Valentinae S Joannis Baptistae filius, et in Romana Curia Procurator
Generalis FF Minorum Discalceatorum, et Recollectorum Galliae, quem Pontifex confirmavit, eidemque Sigilla
Ordinis tradidit

# CAPITULUM GENERALE

LONGE OMNIUM HACTENUS CELEBRATORUM

*Per totum* ORDINEM

# S. P. N. FRANCISCI

*UNICUM, ET CELEBERRIMUM*

Romæ habitum in Templo S. MARIÆ DE ARA-COELI, die 16. Maii Anni Jubilœi 1750.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAPA

# BENEDICTO XIV.

PRÆSENTE IN EO, AC PRÆSIDENTE.

EX BIBL J. F. RAMIREZ

R O M Æ, MDCCLI.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

THE LIBRARY OF
FRANCISCAN FATHERS
AVALON, PA.

R 15
BQV 100 . F7 / 1750
Acc. 77-563

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopol. Viceſg.*

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ord. Præd. Sac. Pal. Apoſt. Mag.




NVMISMA·SSMI·D·N·IMPRESSVM·PRO·CONSVETA·
DISTRIBVTIONE·IN·SOLEMNITATE·SS·APOSTOLORVM·
PETRI·ET·PAVLI·ANNO·MDCCLI·

C·O·Gallimard Sc.

NONDUM quartus annus effluxerat, ex quo Generalem ſui Ordinis Præfecturam inīverat, Reverendiſſimus Pater Frater Cajetanus a Laurino, Provinciæ Principatus in Regno Neapolitano, jam pridem in Comitiis Generalibus Valliſoletanis univerſo Seraphico Ordini adminiſtrando deſtinatus, cum adverſa valetudine diu conflictatus, fato demum Romæ functus eſt in Cœnobio Aracœlitano die 12. Martii Anni 1744. eique in Congregatione generali Romana eodem Anno habita, omnium Electorum ſuffragiis, ſuffectus eſt Vicarii Generalis munere Reverendiſſimus Pater Frater Raphael a Lugagnano, Reformatæ Bononienſis Provinciæ Pater, qui literis Apoſtolicis, quæ dantur in *Summario num.*1. Miniſter Generalis totius Ordinis Minorum fuit declaratus. Cum porrò jam proxime tempus adveniret generalis iterum cogendi Conventus, Literas encyclicas (*a*) Reverendiſſimus Pater dedit, quibus illum Bononiæ habendum anno 1746. univerſo Minoritico cœtui indixit. Verum, cum in dies inter Principes Chriſtianos bella recrudeſcerent, quibus Belgium præſertim, & Italia miſerè concutiebantur, planeque perſpecta ſumma difficultate longiſſima per pauperculos Fratres, ex toto Terrarum



(*a*) Summario num.II.

Orbe accitos, conficiendi itinera, Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS Divina Providentia Papa XIV. ſua, qua par eſt, cura, & vigilantia in noſtrum præcipuè Ordinem, Literas in forma Brevis edidit, quibus Capitulum generale mox enunciato anno celebrandum diſtulit ad tempus uſque beneplaciti ſui, & Sedis Apoſtolicæ, Superioreſque Generales utriuſque Familiæ, Officiales Curiæ Romanæ, ac Definitores generales Ordinis ad idem uſque tempus confirmavit. (*a*)

Pace interim in Conventu Aquiſgranenſi, anno 1749. Europæ reddita, idem Sanctiſſimus Pontifex enixis P. Generalis precibus expetitus pro Comitiorum Generalium celebratione, alias emiſit Literas in forma Brevis, quibus illa Romæ coram ſe peragenda Anno Jubilœi 1750. injunxit, quæque ut omnibus quantociùs innoteſcerent ſedulò curavit idem Remus Pater Literis, quæ dantur num. IV.

Volens itaque Beatiſſimus Pater pro ſua in Franciſcanum Gregem clementia, avitoque amore, Comitiis noſtris intereſſe, ac præſidere, illud in primis habuit, ut ad id omnia adamuſſim curarentur, quæ anno 1723. acta fuerant, dum Innocentius XIII. felic. recordat. Pontif. iiſdem præfuit Comitiis. Nihil omiſſum, quod vel Aulæ Capitularis pretioſitatem adparatus, vel Summi Pontificis, Pontificiæque ejuſdem Familiæ dignitatem, ac Majeſtatem ſpectaret. Ne igitur eamdem crambem recoquamus, ad ea, quæ tunc typis hiſce de rebus conſignata fuerunt, Lectores amandamus, cum ovum, ut ajunt, ovo ſimilius eſſe non poſſit. Illud tamen ſilentio præterire non patimur, quod cum Remus Pater Generalis alterutras fori Capitolini Ædes Muſæo Pontificio adſervando deſtinatas videret, quæ, ut noſtro Aracœlitano Cœnobio proximæ, in aliis ejuſmodi caſibus Fratrum habi-

(*a*) Summ. num. III.

habitationi commodè inſervierant; nolens proinde eoſdem Fratres in privatis Secularium domibus nimis longe a Conventu morari, ac divagari, juſſit, Apoſtolica etiam intercedente auctoritate, Fratres omnes, qui antedictum Cœnobium incolebant, quique nihil cum Capitulo celebrando commune habebant, aut Urbe egredi, aut Franciſcanam domum S. Bartholomæi in Inſula Tyberina commorari, quam graviores Patres inhabitarunt. Ita factum eſt, ut Vocales, paucis exceptis Hiſpanis, qui in proximo S. Hadriani Cœnobio ſunt commorati, in ædibus Aracœlitanis contineri omnes facile potuerint. Ad augendam inſuper Fidelium pietatem erga Seraphicum Ordinem, Sanctitas Sua Literas Apoſtolicas emiſit in forma Brevis, quæ publici juris factæ ſunt, & quibus conceſſit omnibus, & ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, ut plenariam lucrari poſſent peccatorum indulgentiam pro animabus in Purgatorio detentis, cum verè pœnitentes, & Sacra Communione refecti devotè adiiſſent Sanctæ Mariæ de Aracœli, vel aliud ejuſdem Ordinis Templum, a feſto Aſcenſionis Dominicæ, uſque ad feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis incluſivè, ibique ad Deum preces effudiſſent. Jam vero dies advenerat, qua Chriſtus Dominus Cœlos adſcenderat, & interea temporis Cœnobia Urbi proxima, ac diverſoria plena erant Patribus Vocalibus, qui cum frequentiſſimi eſſent, & innumeri quoque Peregrini, & Advenæ Romam quotidie accenderent Sacras Anni Jubilœi Indulgentias lucraturi, graviſſimis propterea incommodis premebantur. Pietate igitur erga ipſos commotus Remus Pater Miniſter Generalis, quem non latebat tum pro iis alendis, cum pro eorum habitatione, neceſſaria ſatis omnia eſſe compoſita, benignè illis indulſit, ut ea die ædes capitulares adirent, quas nonniſi die Sabbati, ſeu die 9. Maii, pro more, ingredi fas erat. Hæc tamen lex minime Patres Remi Definitorii ſpectabat, quibus datum erat, ut dies

ante

ante aliquot Romam venirent, quemadmodum reipſa venerant, præſertim Remus Pater Joannes de Turre Commiſſarius Generalis Ultramontanæ Familiæ, qui nonnullis etiam menſibus præceſſerat, ut quas habebat definiendas controverſias, ante Capitulum Generale diremptas videret. Quamobrem eadem die cœptum eſt a PP. Reverendiſſimi Definitorii Negotiorum Ordinis conſultationibus, pro conſuetudine, operam dare, & habita fuit.

# SESSIO PRIMA.

Die 7. Maii.

C*Um Adm. R. P. Alvarus a Purificatione, Definitor Generalis Provinciæ Arabidorum, ob juſtas cauſas ad Capitulum Generale non acceſſerit, Subſtitutus fuit Adm. Rev. P. Antonius a Bonoſucceſſu, ejuſdem Provinciæ Miniſter, in Definitorem Generalem.*

*Loco Adm. Rev. P. Simonis Joſephi Tibeſart, Definitoris Generalis Provinciæ Flandriæ Recollectorum, & ejuſdem Provinciæ Miniſtri, ob juſtas Cauſas a Capitulo Generali abſentis, ſubſtitutus fuit Adm. R. P. F. Engelbertus Dembleve ejuſdem Provinciæ Pro-Miniſter.*

*Loco Adm. R. P. Joſephi Macè, Definitoris Generalis Almæ Provinciæ Franciæ abſentis a Capitulo Generali ob juſtas Cauſas, Subſtitutus fuit Adm. R. P. Marinus* Caille des fontaines, *Doctor Sorbonicus, & ejuſdem Provinciæ Pro-Miniſter.*

*Loco Adm. R. P. F. Joannis a Valle, Definitoris Generalis Tertii Ordinis Legionenſis, ob juſtas Cauſas a Capitulo Generali abſentis, Subſtitutus fuit Adm. R. P. F. Ignatius Gomez de Loxada ejuſdem Provinciæ Pro-Miniſter.*

*Loco Adm. R. P. F. Joannis Capiſtrani Jovenski, Definitoris*

*toris Generalis Subrogati Provinciæ Obſervantis Poloniæ Majoris, ob juſtas Cauſas a Capitulo Generali abſentis, Subſtitutus fuit Adm. R. P. Romanus Wratleuski actualis ejuſdem Provinciæ Miniſter.*

# SESSIO II.

Die 8. Maii.

## Auditores Cauſarum.

PRO PROVINCIIS OBSERVANTIBUS ITALIÆ.

*Pater Miniſter Provincialis Bononiæ, & Pater Miniſter Provincialis S. Nicolai.*

PRO REFORMATIS.

P. *Miniſter Provincialis Bononiæ, &*
P. *Miniſter Provincialis S. Nicolai.*

PRO ULTRAMARINIS.

P. *Miniſter Provincialis Min. Poloniæ Obſerv. &*
P. *Miniſter Provincialis Refor. Prov. Auſtriæ.*

PRO NATIONE HISPANICA.

P. *Miniſter Provincialis Obſerv. Provinciæ Im. Concept. &*
P. *Miniſter Provincialis Provinciæ Aragoniæ Obſerv.*

PRO OBSERVANTIBUS GALLIÆ.

P. *Cuſtos Provinciæ Sancti Bonaventuræ.*

PRO DISCALCEATIS.

P. *Miniſter Provincialis Provinciæ S. Pauli.*

PRO

PRO RECOLLECTIS.

*P. Miniſter Provincialis Provinciæ S. Dionyſii.*

PRO LUSITANIS EXCALCEATIS.

*P. Miniſter Provincialis Provinciæ S. Antonii in Luſitania.*

PRO GERMANO -- BELGICIS.

*P. Miniſter Provincialis Germaniæ Inferioris.*

PRO TERTIARIIS.

*P. Miniſter Provincialis Bæticæ.*

## Examinatores Scripturarum ad Terram Sanctam ſpectantium.

PRO PARTE ITALIÆ.

*P. Cuſtos S. Nicolai Obſervantium, &*
*P. Miniſter Provinciæ S. Thomæ Obſervantium.*

PRO PARTIBUS HISPANIARUM.

*P. Cuſtos Provinciæ S. Jacobi Obſervantium,*
*P. Miniſter Provinciæ Caſtellæ, &*
*P. Pro-Miniſter Provinciæ Cantabriæ.*

PRO PARTE GALLIARUM.

*P. Pro-Miniſter Aquitaniæ Recentioris, &*
*P. Cuſtos Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris.*

PRO PARTE LUSITANIÆ.

*P. Cuſtos Provinciæ Portugalliæ, &*
*P. Cuſtos Provinciæ S. Antonii in Braſilia.*

Pro Parte Germaniæ.

*P. Miniſter Provincialis Provinciæ Bavariæ, &*
*P. Miniſter Provincialis Provinciæ Tyrolenſis.*

Ad eoſdem pariter ſpectat examen Status Conventuum, numeri Religioſorum, Monialium, & Tertiariorum omnium Provinciarum.

## Reviſores Scripturarum.

Pro parte Provinciarum Nationis Germano-Belgicæ.

*P. Cuſtos Colonienſis, &*
*P. Cuſtos Comitatus Flandriæ.*

Pro Discalceatis Hispaniæ.

*P. Miniſter Provinciæ S. Joannis Baptiſtæ, &*
*P. Cuſtos Provinciæ S. Petri de Alcantara Granatæ.*

Pro Recollectis Galliæ.

*P. Miniſter Provincialis S. Andreæ in Belgio, &*
*P. Cuſtos Sancti Nicolai in Lotharingia.*

## SESSIO III.

Die 9. Maii.

*Lecta proteſtatione facta a Vocalibus Provinciarum Angelorum, & Majoricenſis contra electiones duorum Definitorum Generalium, P. Joannis Carbonel, & Petri Ignatii de Gaenza; Omnes Diſcretorii Generalis Patres utriuſque Familiæ, communi omnium ſenſu, & voto, ac nemine diſcrepante*

*pante decreverunt prædictos Adm. RR. PP. Definitores Generales manutenendos eſſe in ſua poſſeſſione.*

# SESSIO IV.

Die 10. Maii.

*Cum per Miniſtros Sereniſſimi Regis Catholici captæ, ac retentæ fuerint infraſcriptæ expeditiones Remi Patris Miniſtri Generalis, ex ſuppoſitione, quod contrariæ eſſent Conſtitutionibus Apoſtolicis, vel Ordinis, aut pacis, & tranquillitatis turbativæ, videlicet:*

I. *Patentales Literæ ſub die 1. Maii 1746. continentes Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri ſuper prorogatione Capituli Generalis, confirmatione omnium Officialium Generalium Ordinis, & electione duorum Definitorum Generalium.*

II. *Decretum ſub die 21. Maii 1746. quo, de mandato S. C. Epiſcoporum, & Regularium, præcipiebatur regreſſus ad Clauſtra duobus Fratribus, in Domo conductitia commorantibus, in Oppido de Pennerada, titulo dirigendi Tertium Ordinem.*

III. *Epiſtola ſub die 6. Julii 1746. qua Remum Patrem Commiſſarium Generalem Ultramontanæ Familiæ certiorabat de Sententia lata in Cauſa nullitatis Capituli Provinciæ Valentinæ, & præcipiebat eidem Remo P. Commiſſario, ut a gubernio dictæ Provinciæ abſtineret, uſque ad Capitulum poſt paucos menſes in ea celebrandum.*

IV. *Patentales ſub die 6. Julii 1746. quibus alium Religioſum nationis Hiſpaniæ ſupradictæ Provinciæ Valentinæ Viſitatorem inſtituebat.*

V. *Sententia ſub die 6. Julii 1746. lata in Cauſa nullitatis dicti Capituli Valentinæ Provinciæ, quod Capitulum authoritate Apoſtolica ſanabat.*

VI. *Pa-*

VI. *Patentales Literæ, quibus Adm. R. P. Joannem Carbonel decernebat gaudere debere Privilegiis ex-Secretariis Generalibus per Ordinis Conſtitutiones debitis.*

*Cumque idem Sereniſſimus Rex Catholicus ſuo Decreto ſub die* 10. *Martii* 1749. *decreverit, omnes ſupradictas expeditiones retinendas eſſe in ſuo Conſilio, tamquam in depoſito, uſquequo Capitulum Generale hoc anno celebrandum decernat ſecundum Leges Ordinis, quid ſuper his ſervari debeat; Patres Diſcretorii Generalis utriuſque Familiæ, poſt maturam omnium, & ſingularum diſcuſſionem, unanimi conſenſu, & uno tantum diſcrepante, & proteſtante, decreverunt: Supplicandum eſſe Sereniſſimo Catholico Regi pro omnium illarum reſtitutione Ordini noſtro, & pro earumdem executione, nil invento in ulla ex illis, quod contrarium ſit Apoſtolicis, vel Ordinis Conſtitutionibus, neque pacis, & tranquillitatis turbativum, quin potiùs omnes, & ſingulæ ſint Legibus Apoſtolicis, & Ordinis noſtri planè conformes: Salva ſemper in omnibus, & per omnia authoritate Rẽmi Patris Miniſtri Generalis, & inſuper ſalvo honore Reverendiſſimi Patris Commiſſarii Generalis Familiæ Ultramontanæ, & ſalvis juribus partium intereſſe habentium.*

## SESSIO V.

Die 11. Maii.

IN hac Seſſione actum eſt de variis ad Ordinem pertinentibus, nihilque ſpecialiter definitum.

# SESSIO VI.

Die 12. Maii.

*LEcto ſupplici Libello Patris Fratris Bonaventuræ a Solerio, Seraphicæ Obſervantis Provinciæ Filii, quo expoſuit, ſe poſt peractam Sac. Theologiæ Generalis oppoſitionem, & approbationem, mediantibus Patentalibus Literis Superioris Generalis per aliquod tempus in Generali ſtudio Aracœlitano, loco alterius Lectoris Generalis abſentis, ſacram Theologiam legiſſe; petiitque a Capitulo Generali, nùm tempus, quo, ut ſupra, legit, computari ex Juſtitia eidem poſſit ad Decennium Lecturæ Generalis, ad conſequendam Jubilationem? Omnes Diſcretorii Generalis Patres, nemine diſcrepante, reſponderunt affirmativè.*

*Lecto ſupplici Libello P. F. Everardi de Senis, qui per duodennium Commiſſarii Terræ Sanctæ munere Liburni functus fuit; poſtulavitque, num ipſi debeatur prærogativa Patris Provinciæ, & Præcedentia immediate poſt Patres Jubilatos de numero? Omnes Diſcretorii Generalis Patres unanimiter, ac nemine diſcrepante, reſponderunt affirmativè quoad titulum, & præcedentiam tantùm.*

*Lectis, ac maturè perpenſis Sindicationibus a Remi Diſcretorii Generalis Patribus, nedum nihil inventum eſt quærimoniæ contra Remum P. Miniſtrum Generalem, Remum P. Commiſſarium Generalem, nec contra aliquem ex Officialibus Curiæ; quin potius Provinciæ omnes gratias innumeras rependunt Rmis prædictis Superioribus pro eorum zelo, dexteritate, ac ſolertia in regimine adhibitis, ac propterea maxima laude dignos exiſtimant, uti etiam ipſi prædicti Remi Diſcretorii Generalis Patres aſſerunt, atque teſtantur.*

Hodie omnibus Vocalibus Ciſmontanæ Familiæ indictum eſt, ne ſequenti die poſt Veſperas e Cœnobio egrederentur,

rentur, donec ab Auditore Sanctiſſimi vocati ſingillatim, mentem ſuam ſuper electione novi Miniſtri Generalis eidem aperuiſſent.

# SESSIO VII.

Die 14. Maii.

*AD poſtulationem Obſervantis Provinciæ Majoris Poloniæ, attentis ſpecialibus motivis, Studium Thorunenſe erigitur in Studium Generale ſecundæ Claſſis, attentiſque eiſdem ſpecialibus motivis, ut in eo tres Lectores legere valeant indulgetur.*

Hora vigeſima prima more italico Cœnobium noſtrum Aracœlitanum adivit Illm̃us, ac Rem̃us D.D. Clemens Argenvillieres Auditor Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ, exquiſivitque a ſingulis Vocalibus Ciſmontanis eorum vota ſecreta pro eligendo Generali Ordinis Miniſtro, præceptumque hac eadem die Vocalibus Ultramontanis, ne e domo capitulari ſequenti die, ut ſupra, diſcederent.

# SESSIO VIII.

Die 15. Maii.

*PRopoſito dubio, an in toto Ordine, comprehenſa etiam Natione Germano-Belgica, ex Definitoribus Generalibus, eſto Miniſtri Provinciales non extiterint, debeatur præcedentia, non ſolum ſupra ex-Miniſtros futuros, ſed etiam prætericos? Reſponſum fuit unanimiter, affirmative, juxta Conſtitutiones Generales, & juxta praxim Generalem totius Ordinis, & juxta Breve Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentii XII. incip.* = Ex parte Dilecti &c. *ſub die 14. Kal. Ju-*

*nii*

*nii 1696. = Non obſtantibus Conſtitutionibus Barchinonenſibus per Conſtitutiones ſubſequentes in hac parte derogatis.*

*Pro parte Provinciæ Obſerv. Lithuaniæ fuit ſupplicatum, ut Studium Theologicum Provinciale in Conventu Neſviſienſi erigeretur in ſtudium Generale ſecundæ Claſſis cum privilegio, ut in eodem tres Lectores legere valeant: attentis particularibus circumſtantiis, fuit reſponſum pro gratia.*

Hac die, hora antedicta, habita eſt, ut ſupra, ab Auditore Sanctiſſimi exploratio PP. Vocalium Ultramontanæ Familiæ pro electione Miniſtri Generalis. Ut porrò cuncta, quæ ſequenti die ab omnibus, & ſingulis Vocalibus coram Pontifice peragenda erant, recto ordine, & ut tanti Pontificis majeſtatem decebat, adimplerentur, in templum Aracœlitanum convenerunt omnes, ibique cunctæ cœremoniæ ſemel & iterum repetitæ fuerunt.

Die 16. Maii.

HAc die, Pentecoſtes Pervigilio, mane circa horam nonam horologii italici, Sacro ad S. Spiritus honorem, & invocationem peracto, Patres omnes Vocales in Templum, ſeu Aulam Capitularem conceſſerunt, ſuiſque locis petitis, facta fuit quatuor Diſquiſitorum Ordinis electio, duorum Ciſmontanæ, & duorum Ultramontanæ Familiæ, qui Scrutinio, & Schedularum aperitioni intereſſent, una cum quatuor Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis S. R. E. Cardinalibus Diſquiſitoribus a Sanctitate ſua delectis, ſcilicet F. Joanne Antonio Guadagni Urbis Vicario, Silvio Valenti a Secretis Status, & Apoſtolicæ Sedis Camerario, Hieronymo Columna totius Minoritici Ordinis Protectore, & Regia Celſitudine Eminentiſſima Clementis Stuart Ducis Eboracenſis.

Circa horam decimam tertiam Summus Pontifex ſingulari

lari pompa e Palatio Quirinali diſceſſit, & Prælatis, aliiſque ex Pontificia familia, ac frequenti Nobilium Laicorum equitantium numero, Helveticorum cuſtodia ſtipatus, ſubſequentibus levis armaturæ, ac cataphractis militibus; ſolito itinere Capitolii Clivum conſcendit, obſeratis jam Templi januis, ad fores Aracœlitani Cœnobii pervenit, ubi obviam habuit in genua provolutos Miniſtrum Generalem, Patreſque Diſcretos Ordinis (nam cœteris Vocalibus prohibitum fuerat, ne ex loco Capituli egrederentur) ultroque per interiorem Templi januam progreſſus, obvios habuit antedictos Cardinales, quibus aqua luſtrali per Cardinalem Guadagni ſibi porrecta benedixit, mox Sacrarium ingreſſus, & in ejuſdem Sacellum penetrans, ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quod inibi e Templo translatum aſſervabatur, preces effudit.

Poſt cultum Deo perſolutum, aſſumpta faldâ in Sacrario, Templum ingreſſus, Solium conſcendit, mozzetta, & ſtola indutus, caput camalaucio tectus, excluſis omnibus a Templo, in quod plures convolarant, Patribus Vocalibus ſua benedictione ſurgendi veniam dedit. Exinde Secretarius Generalis Ordinis genibus innixus Pontifici obtulit Syllabum, ſeu Catalogum omnium Vocalium, quorum numerus erat tercentorum decem & novem, aliudque ejuſdem exemplar manu gerens, ſingulos appellavit, eorum præſentiam explorans, quorum cum quiſque nomen ſuum audiebat, demiſſus in genua reſpondebat, *Adſum*.

Poſt hæc Solium Pontificium conſcendit Miniſter Generalis, qui culpas in Ordine adminiſtrando confeſſus oratione italica, ſigilla Ordinis ſimplici diſco impoſita obtulit Pontifici, ſeque officio abdicavit, qui eum, benedictione impertita, dimiſit, ut locum ſuum repeteret.

His ita peractis Sanctiſsimus Pater amore non minus, quâm zelo flagrans in noſtram Seraphicam Familiam, gravitatem

tatemque negotii perpendens, ſequentem paternam, elegantiſsimamque adlocutionem ad Vocales in genua demiſſos habuit.

## *Dilecti Filii.*

„ NEque novum, neque inuſitatum Nos facere, quod „ veſtris hiſce Comitiis præſideamus, Annales ve„ ſtri teſtantur, in quibus decem Romani Pontifices recen„ ſentur, qui ſimile Nobis exemplum reliquerunt. Inter „ illos Nicolaum V. adnumeratum deprehendimus, qui „ cum univerſale Jubilœum, quod tunc temporis contige„ rat, ſolemniter celebraret, inter cætera pietatis, ac re„ ligionis ſuæ monumenta, illud etiam præſtandum cenſuit, „ ut Comitiis Ordinis veſtri Generalibus, quæ tum Romæ „ cogebantur, ipſe præeſſet (*a*). Quamquam vero quodli„ bet ex iis, quæ innuimus, exemplum, ut Comitiis hiſce „ veſtris præeſſemus, ſatis eſſe potuiſſet, tamen diſsimu„ landum non eſt, illud prædicti Nicolai V. Nos vehemen„ ter excitaſſe, & quaſi impuliſſe; cum & univerſale Ju„ bilœum a Nobis quoque celebretur, & eo cogitationes a „ Nobis intendantur, ut illud rite, & qua par eſt ſolemni„ tate peragatur.

„ Quapropter, dum Generali Conventui veſtro præ„ ſidemus, ſingulari afficimus gaudio: quod etiam magis au„ getur, ob pietatem in Ordinem Sancti Franciſci, quam ve„ lut hæreditariam a Majoribus noſtris accepimus, & quam „ perſpicue declaravimus in omni vitæ conditione, in qua, „ Deo diſponente, verſati ſumus, nihil unquam prætermit„ tentes, quod ſpirituali utilitati veſtræ, quam vobis uni„ ce cordi eſſe non ignoramus, conferre poſſe videretur.

„ Qua-

(*a*) Wadding. *in Annalibus Minorum ad ann.* 1450. *num.* 10.

„ Si privatis Familiarum monumentis, & peculiaribus „ Urbium Annalibus fides præſtanda eſt, compertum habe„ mus (*a*) a Guido Lambertino conceſſum, ac liberaliter tra„ ditum fuiſſe locum ad extruendam Eccleſiam, & Cœno„ bium Patriarchæ veſtro S. Franciſco, cum Bononiæ in ho„ norem Annunciationis Sanctiſſimæ Virginis Templum ex„ citare peroptaret, quod etiam hoc tempore a vobis in ea „ Civitate retinetur: quæ quidem Guidi liberalitas, ac pia „ voluntas, intercedente eodem S. Franciſco, plurima il„ lius Liberis, ac Nepotibus a Deo beneficia comparavit. „ In hiſtoriis pariter veſtri Ordinis (*b*), ac Civitatis noſtræ „ Bononienſis (*c*) plurimum commendatur Beata Joanna „ Lambertina, quæ Familiæ veſtræ nomen dedit. Ipſa „ namque Sanctæ Catharinæ Bononienſis prius Comes, „ eidem poſtea in adminiſtrando Monaſterio ſucceſſit, „ ac tandem hujus mortalis vitæ curſum in Sanctitatis „ odore conſumavit. Illiuſque Oſſa condita ſunt ad pe„ des ejuſdem Sanctæ Catharinæ, cujus Corpus poſt plu„ ra ſæcula integrum adhuc, ac ſedens publico Chriſtifide„ lium cultui patet.

„ Nemo veſtrum ignorat, inter ſpiritualia Regularium „ Ordinum ornamenta illud maxime efferri, quod ipſorum „ Alumni inter Beatos, ac Sanctos poſt obitum extollantur; „ ex quo tum cœteri ad imitanda hujuſmodi exempla inflam„ mantur, tum continua quoque in Eccleſia Catholica San-

C ctitas

(*a*) Anton. de Anellis *in Genealogia Familiæ Lambertinæ Nobilis Bononienſis* MS. *ann.* 1535.

(*b*) Artur. *in Martyrolog. Franciſcan.* ad diem 12. Aprilis wadd. *ad ann.* 1431. *num.* 21., & *ad ann.* 1455. *num.* 110. & 111.

(*c*) Gabriel Card. Paleottus *Archiepiſcop. Bonon. in Cathalogo Sanctorum & Beatorum*.

Pompeus Vizani *Hiſtor. Bonon. lib.* 7. *ad an.* 1456.

Gaſpar Bombaci *in Bononienſibus Sanctitate illuſtribus pag.* 111. & 112. *edit. Bononien. ann.* 1640.

Antonius Pauli Maſini *Bononien. Perluſtrat. pag.* 118., & *pag.* 279. *edit. Bononien an.* 1666.

Co. Valerius Zani *in Cathalogo Beatorum Bononien. ad an.* 1476.

„ ctitas comprobatur. Illud autem falſo a nonnullis adfirmari Nos minime latet, videlicet Ordines Ciſtercienſium, & Carthuſianorum ſollicitos ſemper fuiſſe, ut Viri Religioſi omni Sanctitate præſtarent, dum viverent, nullam vero impendiſſe curam, ut ipſi poſt mortem debitum Beatis, ac Sanctis cultum conſequerentur. Sed in libris, quos typis emiſimus, cum adhuc inter Cardinales verſaremur „ *de Beatificatione*, *&* *Canonizatione Sanctorum* (a) „ eam Sententiam a veritate prorſus alienam ſatis oſtendimus; & in lucem protulimus, ac enumeravimus Beatos, ac Sanctos eorumdem Ordinum, quibus Sedis Apoſtolicæ Decreto publicus cultus impenditur.

„ Clemens XI. fel. rec. Nos in juvenili adhuc ætate conſtitutos inter Advocatos Conſiſtoriales primo cooptavit, & patrocinium Cauſæ Canonizationis memoratæ S. Catharinæ Civis Noſtræ, Ordiniſque veſtri Filiæ, Nobis demandavit: quod ſane ita ſuſcepimus, ut ſolutis difficultatibus, Deo in primis adjuvante, illam inter Sanctas adſcriptam Nobis venerari feliciter contigerit. Poſt hæc idem Pontifex Fidei Promotoris munus gerendum Nobis impertivit, quod per plures annos exercentes, inter Sanctos, non ſine magno labore, conatuque Noſtro, adnumerari lætati ſumus tres ex Familia veſtra, Jacobum Picenum, Franciſcum Solanum, & Margaritam Cortonenſem; quinque vero inter Beatos referri, videlicet, Joannem de Prado, Salvatorem ab Horta, Liberatum a Lauro, Andream de Comitibus, & Hyacintham Mareſcotti. Poſtremo, licet immerentes, ad ſummum Pontificatum evecti, Nos ipſi Petrum Regalatum ſolemni ritu Sanctum declaravimus; & Benedictum a Sancto Philadelphio, Pacificum a Ceredano, Coletam, & Joannam Valeſiam in Beatorum numerum cooptavimus.

Wad-

(a) Lib. I. cap. 13. num. 17. & 18.

„ Waddingus Annalium veſtrorum Scriptor (*a*) non „ immerito ſuum, veſtrumque Ordinem magnopere com„ mendat ex eo, quod Fratribus Minoribus a decimo quar„ to Sæculo Divini Salvatoris Noſtri Sepulchrum cuſtodien„ dum traditum fuerit. „ *Non eſt profecto exigua gloria noſtri Sodalitii, ut illud ſolum præ omnibus, inter omnes Eccleſiæ Ordines, tribus integris ſæculis, in ſua habeat poteſtate Fidei noſtræ præcipua monumenta, & Minoritæ dumtaxat Cuſtodes adhibiti ſint locorum, in quibus noſtræ ſalutis Myſteria operatus eſt Chriſtus, & Sanctum Domini Evangelium de Patibulo coruſcaverat.*

„ Dilectus Filius Raphael a Lugagnano, qui totius Or„ dinis veſtri Generalis Miniſter „ *nullius incongruæ voluntati deſervivit, ſed vita, & moribus decoratus, tanto Ordine dignus inventus eſt* (*b*) „ multum laboris impendit; „ quemadmodum vobis ſatis exploratum eſt, ut ea conſti„ tueret, quæ pro locis Sanctis pie, religioſeque aſſervandis „ conſentanea magis eſſe viderentur. Ipſe quidem, faven„ te Deo, incolumis hic verſatur, vobiſque omnibus teſta„ ri poteſt voluntatis Noſtræ ſtudium, ut graviſſimum hoc „ negotium ad finem ſuum feliciter perduceretur; vobiſque „ ipſis perſpectas eſſe non dubitamus Apoſtolicas literas, „ quas edidimus (*c*) ut ea confirmaremus, quæ idem Gene„ ralis Miniſter veſter prudenter, utiliterque decernenda eſ„ ſe cenſuit, ad Sanctam eorumdem Sacrorum locorum cuſto„ diam.

„ Jam ad finem properat annus decimus Pontificatus „ Noſtri, in quo benevolentiam Noſtram in Regulares Or„ dines ſemper ita probavimus, ut nulli umquam jus eli„ gendi ſuos Præſides, interpoſita ſola auctoritate Noſtra,



„ ſuſpen-

(*a*) Ad ann. 1342. num. 59.

(*b*) Sanctus Gregorius Magnus *lib.* 3. *Epiſt.* 22. ad Antoninum Subdiaconum, *tom.* 2. *edit. Pariſien. ann.* 1705. *p.* 639.

(*c*) *Die* 7. *Januarii, & die* 7. *Februarii ann.* 1746.

„ ſuſpenſum fuerit, ſed illud intactum ſemper omnibus re-
„ liquerimus. Quare, ſi hunc animum in reliquos Ordines
„ habuimus, conjicere facile poteſtis, Nos idem præſtitu-
„ ros eſſe erga vos quam libentiſſime. In hunc locum Comi-
„ tiis veſtris adfuturi venimus, ut libertas veſtra magis aſ-
„ ſeratur, veſtriſque precibus ad Deum Noſtræ pariter jun-
„ gantur, ut ipſe lumen ſuum veſtris mentibus impertiat,
„ ad idoneum Virum totius Ordinis Præſidem eligendum.
„ Itaque verbis utemur Sancti Gregorii Magni Prædeceſſo-
„ Noſtri (*a*) ad Clerum Mediolanenſem, qui ad eligendum
„ novum Archiepiſcopum convenerat. „ *Quia antiquæ meæ deliberationis intentio eſt, ad ſuſcipienda Paſtoralis curæ onera, pro nullius unquam miſceri perſona, Orationibus proſequor electionem veſtram.*

„ Deinde Summus Pontifex propoſitum ſuis precibus
„ finem declarat, & ſimul virtutes recenſet, quibus no-
„ vum Præſulem decet exornari. Nos etiam ſententiæ ipſius
„ vota noſtra accomodantes, eadem prorſus verba hic repe-
„ temus. „ *Ut Omnipotens Deus, qui futurorum actuum noſtrorum ſemper eſt præſcius, talem vobis Paſtorem præbeat, in cujus lingua, & moribus exhortationis Divinæ paſcua valeatis invenire, in cujus mente & humilitas cum rectitudine fulgeat, & ſeveritas cum pietate; qui vobis viam vitæ non ſolum loquendo, ſed etiam vivendo poſſit oſtendere, quatenus exemplo illius diſcat veſtra dilectio ad æternæ Patriæ deſiderium ſuſpirare.*

„ Poſtremo S. Gregorii ad Electores ſermonem con-
„ vertentis exemplo Nos pariter inhærentes, obteſtamur
„ vos in viſceribus Jeſu Chriſti, ut privata ſtudia, omnem-
„ que terrenam cogitationem deponentes, hodierna die,
„ qua graviſſimum a vobis negotium pertractatur, ad com-
munem

(*a*) *Libro 3. indict. 11. epiſt. 29. citato tom. 2. pag. 644.*

„ munem veſtri Ordinis utilitatem, quæ cum Dei gloria „ conjuncta eſt, ad conſervandam, & magis magiſque am- „ plificandam Catholicam Fidem, oculos, animumque con- „ vertatis: Itaque (inquit Sanctus Gregorius) „ *Vos, Filii Cariſsimi, officii noſtri cenſura commoniti, ſuademus, ut in hac ſuſcipiendi Antiſtitis Cauſa nullus veſtrum neglecta utilitate communi, ſuo lucro proſpiciat, ne ſi quiſquam propria commoda appetit, frivola æſtimatione fallatur, quia nec libero judicio præferendam ſibi perſonam examinat mens, quam cupiditas ligat.*

„ Hæc autem Paterna monita, etſi vobis, dilecti Filii, „ viam perfectionis jam ingreſſis ſupervacanea videri poſ- „ ſunt; tamen conſentanea valde ſunt tum Apoſtolico mini- „ ſterio noſtro, tum muneri, quod gerimus, præſidendi „ Comitiis veſtris, tum denique Pontificiæ quoque, nume- „ riſque omnibus obſtrictæ benevolentiæ, qua univerſum „ S. Franciſci Ordinem complectimur. Semper quippe „ oculis noſtris obverſatur admirabile viſum Innocentii III. „ Prædeceſſoris noſtri, qui incertus, ac ſuſpenſus, utrum „ Seraphici Patris veſtri novum Inſtitutum authoritate Apo- „ ſtolica confirmare deberet, omnem prorſus dubitationem „ depoſuit, poſtquam in Somniis palmam inter pedes ſuos „ paulatim ſuccreſcentem, & in arborem pulcherrimam ſe- „ ſe elevantem conſpexit, & ipſum Sanctum Franciſcum, „ hominem licet pauperculum, modicum, & deſpectum, „ Lateranenſem Baſilicam jam ruinæ proximam, proprio „ dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentantem (*a*).

„ Hæc ſunt, dilecti Filii, quæ vobis ſignificanda cen- „ ſuimus. Quare Orationem noſtram longiùs protrahen- „ dam non judicamus; ſed vos ad Sanctam electionem au- „ ſpicandam exhortamur.

Pon-

(*a*) S. Bonaventura *in legenda S. Franciſci cap.* 3.

Pontificiam adlocutionem ſubſecuta eſt PP. Vocalium pro more Confeſſio,receptaque a Pontifice abſolutione, cunctis in genua procumbentibus, etiam Sanctitate Sua faldiſtorio ad Solium delato incumbenti, illapſus Spiritus Sancti eſt imploratus Hymno *Veni Creator Spiritus* decantato, nonnulliſque precibus a Pontifice recitatis, qui demum camalaucio tectus,iterum conſedit. Ad Solium denuo acceſſit Miniſter Generalis, medius inter quatuor Ordinis Diſquiſitores jam pridem electos, quos Pontifici proponens, inquit: *Beatiſſime Pater, ſi Sanctitati Veſtræ placuerit, hi ſunt Diſquiſitores electi ad recognoſcenda, & ad notanda ſuffragia*: cumque Pontifex benedicendo comprobaſſet, Generalis ad locum ſuum reverſus eſt. Diſquiſitores vero ſuper Liturgicorum libro manum imponentes, genuflexi in poſtremo Solii gradu, ſinguli ſeſe jurejurando ad Secreti cuſtodiam obſtrinxerunt hac formula: *Juro me ſecretum omnimodè ſervaturum*; & exadverſo Diſquiſitorum Cardinalium ſedentium,ipſi ſtantes,ad menſam Scrutinii acceſſerunt. Antequam autem deferrentur ſuffragia, Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Præſul D. Clemens Argenvillieres Auditor Sanctiſſimi elata voce, ut in Comitiis anni 1723. legit ſequens:

# DECRETUM

## *Sanctiſſimi Domini Noſtri* BENEDICTI XIV.

„ IN præſenti Generali Capitulo, ſub præſidentia Sanctiſſimi Domini Noſtri, Domini BENEDICTI Papæ XIV. „ Cum mox Scrutinium ſit celebrandum pro electione Miniſtri Generalis Ordinis Sancti Franciſci: Sanctitas ſua, „ paterno, quo fertur, zelo erga prædilectam hanc Religionem, enixè omnes, & ſingulos Vocales in Domino hortatur, & monet, ut proprii Officii memores, in eum con-

„ ſpi-

„ ſpirent votis ſuis, quem ſecundum Deum pro tanto mu-
„ nere ferendo, ſumma maturitate cognoverint. Quod ſi
„ Vocales ſibi ipſis indulgentes, & partium adhærentium
„ ſtudio diſtracti, electionem in hoc Scrutinio, juxta Con-
„ ſtitutionum tenorem, non perfecerint; Ne diutiùs diſſonan-
„ tium animorum diſcordiæ protrahantur, Sanctitas Sua
„ Motu proprio monet, atque declarat, electione Miniſtri
„ Generalis in hoc primo Scrutinio non facta, ipſam electio-
„ nem ſibi ipſi aſſumere velle, ſicuti ex plenitudine Apoſto-
„ licæ Auctoritatis, & præſentis Decreti tenore, nunc pro
„ tunc, ad ſe devolutam declarat, atque decernit, ita ut
„ aliud ſecundum Scrutinium amplius replicari, etiam præ-
„ ſenti die, non poſſit, neque debeat. Non obſtantibus Or-
„ dinis Conſtitutionibus, etiam ſpecialiter a Sede Apoſtoli-
„ ca confirmatis, aliiſque Ordinationibus Apoſtolicis, Sta-
„ tutis, & Conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſ-
„ cumque. Quod Decretum Sanctitas Sua in Actis Capitu-
„ laribus regiſtrari mandavit. Hac die 16. Maii 1750.

*Clemens Argenvillieres Sanctitatis Suæ Auditor.*

Nihil deerat, quod Scrutinii initium moraretur. Itaque Secretarius Generalis Ordinis eodem, quo primum & gradu, & habitu Electores evocavit, qui ſiniſtra manu ad pectus plicata, dextera vero Schedulam tenente elevata, ad menſam Scrutinii pervenientes, e regione inferiori, præſtita Summo Pontifici, qui ex adverſo erat, genuflexione reverentia, ſiniſtram Evangeliorum Codici manum imponebant, Deum Sacramento obteſtando ſe eligere, quem ſecundum Deum judicabant meliorem; dexteram autem manum ad arcam ibi paratam admoventes, in ejus foramen Schedulas electionis ſinguli immiſerunt. Mox vero a dextro menſæ latere ad Solium junctis manibus accedentes, iterum, ac tertio repetita genuflexione, Sanctitatis Suæ pedes exoſculabantur, & ex ſiniſtro ejuſdem menſæ latere eorum quiſque locum ſuum repetebat.

(Pla-

( Placuit in Summario numero V. Catalogum Vocalium juxta ordinem præcedentiæ referre, ne deinceps controverſiæ amplius hac ſuper re oriantur. )

His omnibus ritè, ac decenter completis, Diſquiſitores tam Cardinales, quam Religioſi Schedulas in unum collectas ſinguli numerarunt primum, deinde aperuerunt, & ſuffragia in ſuis reſpective foliis adnotarunt, quibus demum inter ſe collatis, & invicem concordare deprehenſis, Eminentiſsimi Diſquiſitores Sanctitati Suæ eadem folia ſic notata exhibuerunt, retuleruntque quot quiſque Candidatorum ſuffragia obtinuiſſet.

Cum itaque conſtitiſſet in Patrem Fratrem Petrum Joannetium de Molina, Provinciæ Valentinæ S. Joannis Baptiſtæ Filium, Sacræ Theologiæ Lectorem, Concionatorem inſignem, & in Romana Curia Procuratorem Generalem Diſcalceatorum, & Recollectorum, Virum doctrina, pietate, & in rebus agendis dexteritate in Urbe clariſsimum, majorem Suffragiorum partem, & ſuper medietatem ceſsiſſe, ac propterea juxta Conſtitutiones Ordinis eum eſſe Miniſtrum Generalem totius Seraphicæ Familiæ legitimè, ac canonicè electum, eamdem electionem Sanctiſsimus Pontifex ratam habuit, & Schedulis combuſtis, e ſuggeſtu per Secretarium Diſquiſitorii publicari, omnibuſque palam fieri, januis Templi reſeratis, mandavit, quemadmodum factum eſt communi electionum Ordinis Formula, quæ eſt:

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.

J*Ubente Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa* Benedicto XIV. *præſente, & Præſidente in hoc Capitulo Generali totius Ordinis Fratrum Minorum hodie celebrato, aſſiſtentibus S. R. E. Cardinalibus Guadagni Epiſcopo Tuſculano, ejuſdem Sanctiſſimi Domini Noſtri Vicario Generali, Valenti Secretario Status, Duce Eboracenſi, & Hieronymo Columna Pala-*

*Palatii Apoſtolici Pro-Præfecto, & præfati Ordinis apud Sanctam Sedem Protectore, ſpecialiter a Sanctitate Sua pro Diſquiſitoribus quoque electis, promulgatur electio Miniſtri Generalis, ut infra.*

*Hæc eſt electio Miniſtri Generalis totius Ordinis Sancti Franciſci canonicè celebrata per Fratres Vocales capitulariter, & legitimè congregatos in præſenti Conventu Aracælitano Urbis, die decima ſexta Menſis, Maii Anni Domini milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi.*

Hic recenſentur nomina Candidatorum, & quot ſinguli reportarint Suffragia, a quibus referendis, ut mos eſt, ſuperſedemus.

*Et ego F. Vincentius Antonius a Caprarola ejuſdem Ordinis Definitor Generalis, unus ex Diſquiſitoribus, & Compromiſſariis virtute compromiſſi in me, & Socios meos limitati, nomine omnium, qui in dicta electione convenerunt, & conſenſerunt, præfatum Fratrem Petrum Joannetium a Molina, in quem major pars votorum conſenſit, Miniſtrum Generalem canonicè electum nomino, & ſic electum enuncio. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

*Ita eſt F. Emanuel* de la Guadra *Miniſter Caſtellæ, & Diſquiſitor.*

*Ita eſt F. Ludovicus Perner Miniſter Bavariæ Diſquiſitor.*

*Ita eſt F. Marcus Antonius Gravois Definitor Generalis, & Diſquiſitor.*

*Ita eſt F. Vincentius Antonius de Caprarola Definitor Generalis, Diſquiſitor, & Scriba.*

Facta electionis publicatione, duo Patres Cantores ex Vocalibus in templi medio hic inſertas acclamationes, quarum exemplaria typis tradita jampridem Electoribus fuerant diſtributa, præcinuerunt, cœteris omnibus gravi modulatione alternantibus, prout ſequitur:

CANTOR. *Sanctiſsimæ Trinitati Laus, & Gloria.*
VOCAL. *Laus, & Gloria.*
CANTOR. *Beatiſsimæ Virgini honor, & benedictio.*
VOCAL. *Honor, & Benedictio.*
CANTOR. *Sancto Franciſco Patri Noſtro decus, & gratulatio.*
VOCAL. *Decus, & gratulatio.*
CANTOR. *Beatiſsimo Domino Noſtro Sanctæ, & Univerſalis Eccleſiæ Pontifici* BENEDICTO XIV. *qui dignatus eſt in hoc Capitulo præſidere, humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria.*
VOCAL. *Humiles gratiæ, multi anni, æterna memoria.*

Quibus decantatis duo Cœremoniarum Magiſtri noviter electum Miniſtrum Generalem adierunt, & ad Pontificium Solium deduxerunt, ubi ad pedes Sanctitatis Suæ juſjurandum dedit, juxta formam Beat. Memor. Innocentii XI. de non ambienda, aut acceptanda quacumque dignitate Epiſcopali, Archiepiſcopali, & Patriarchali, ac de ſua in ſibi conlato onere ſubeundo inſufficientia Pontificem breviter alloquutus, ejuſque præſidium, & protectionem humillime deprecatus, Sigilla Ordinis a Sanctiſsimo accepit, ac demum ad locum ſuum ſupra cœteros remeavit.

Jam verò hora tertia cum dimidia elapſa erat, ex quo Sanctitas Sua advenerat, & in Solio majeſtatis ſedens, omnia videns, omniaque contemplans, ſumma benignitate, & clementia rebus omnibus preſens adfuerat.

Quare adſurgens, preces poſt electionem fieri conſuetas recitavit, ſolemnem omnibus adſtantibus benedictionem impertivit, & iiſdem, quibus venerat, comitatu, ac pompa ad Quirinale Palatium reverſa eſt, cœteris Vocalibus in Aula Capitulari interim remanentibus, donec Miniſter Generalis, & reliqui Definitorii generalis Patres Pontificem comitati, ei pro tam ingenti, cedroque digno beneficio, & hono-

& honore Univerſo Ordini conlato humillimas gratias egiſſent, ad eamdemque aulam rediiſſent. Quamobrem Miniſtro Generali in Templum reverſo, Cantores Hymnum *Te Deum* præcinuerunt, & facta omnium Fratrum Proceſsione, ſinguli eorum ad Aram maximam, debitam pro more Reverendiſsimo Patri, manum deoſculando, obedientiam, & reverentiam præſtitere, innumera Populi ſpectante multitudine, quæ ad idem Templum confluxerat.

## Die 17. Maii.

MAne feſto Pentecoſtes Sacrum ſolemniter decantavit Reverendiſsimus Pater Miniſter Generalis. Eadem autem die, cum juxta celebrem Leonis X. Conſtitutionem eligendus eſſet Commiſſarius Generalis Ciſmontanæ Familiæ, cumque pro bono pacis, & majori Ordinis utilitate ad hoc munus, licet invitus, concurreret Reverendiſsimus Pater Raphael a Lugagnano ex-Miniſter Generalis immediatus, qui ob Clementinam Conſtitutionem a ſuperiori gradu ad inferiorem, ſine interpollatione, deſcendere non poterat, niſi prius obtenta Apoſtolica diſpenſatione, exhibito propterea ſupplici libello Pontifici, Sanctiſsimus dignatus eſt propria manu ſequens Reſcriptum dare:

## Die 17. Maii 1750.

„ Attentis meritis Patris Raphaelis a Lugagnano, quæ „ nobis perſpecta ſunt, libentiſsimè annuimus, ut ipſe eligi poſsit in Commiſſarium Generalem, juxta petita, derogantes Conſtitutionibus Ordinis, & cœteris omnibus in contrarium facientibus de plenitudine noſtræ Poteſtatis, & „ Auctoritatis, eidemque Patri Raphaeli in virtute Sanctæ „ Obedientiæ præcipimus, ut quatenus eligatur in Commiſſarium, Commiſſariatum acceptet; utque de noſtra volun-



„ tate

„ tate dubitari non poſsit, præſens Decretum noſtra manu
„ ſcribimus, & ſubſcribimus.

BENEDICTUS PP. XIV.

Die 18. Maii.

Hujus diei mane habita fuit antedicta Commiſſarii Generalis electio, quæ ceſsit in Reverendiſsimum P. Raphaelem a Lugagnano, & publicata fuit, prout ſequitur.

IN DEI NOMINE AMEN.

*HÆc eſt electio Reverendiſſimi Patris Commiſſarii Generalis Ordinis Minorum totius Familiæ Ciſmontanæ per Patres Vocales in Conventu Sanctæ Mariæ de Aracæli Urbis capitulariter, & legitime congregatos anno 1750. die decima octava Menſis Maii canonicè, & ritè celebrata, Præſidente in ea Reverendiſſimo Patre Petro Joannetio de Molina totius Ordinis Miniſtro Generali, in qua quidem electione pro Commiſſario Generali convenerunt CLVI. Vocales.*

Hic recenſentur Suffragia, ut mos eſt, Candidatorum, quæ omittuntur. *Et ego F. Cæſarius a Bononia ejuſdem Ordinis Profeſſus, Provinciæ Reformatæ Bononiæ, unus ex Diſquiſitoribus, & Compromiſſariis, virtute compromiſſi in me, & in Socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam canonicam electionem convenerunt, & conſenſerunt, præfatum Reverendiſſimum Raphaelem a Lugagnano, in quem major pars Vocum conſenſit, in Commiſſarium Generalem totius Familiæ Ciſmontanæ canonicè electum nomino, & ſic electum enuncio, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

*F. Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis.*

*Ita eſt F. Columbinus de Senis Miniſter Provincialis Provinciæ Tuſciæ, & Diſquiſitor.*

*Ita*

*Ita eſt F. Caſimirus de Neapoli Miniſter Provincialis Provinciæ Principatus Obſerv. & Diſquiſitor.*

*Ita eſt F. Franciſcus Maria de Naro Pro-Miniſter Prov Vallis Mazariæ Reformat. & Diſquiſitor.*

*Frater Cœſarius a Bononia Secretarius Generalis Reformatorum Diſquiſitor, & Scriba.*

Poſt Veſperas electi fuerunt Procurator Generalis Ordinis, & alii Officiales generales in Curia Romana, prout ſequitur:

## Electio Adm. R. P. Procuratoris Generalis Ordinis.

*PRopoſito per Reverendiſſimum Patrem Fratrem Petrum Joannctium de Molina Miniſtrum Generalem totius Ordinis pro Officio Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis Rev. P. F. Antonio Barros Lectore Jubilato, & Miniſtro Almæ Provinciæ Sancti Jacobi in Hiſpania, præcedenter ab omnibus Patribus Deffinitorii Generalis noſtræ Ultramontanæ Familiæ ad id munus qualificato, ſuffragantibus omnibus PP. Vocalibus Regularis Obſervantiæ dictæ noſtræ Ultramontanæ Familiæ.....fuit canonicè electus die* 18. *Maii anni Domini* 1750., *& in Comitiis Generalibus per dictum Reverendiſſimum P. N. Miniſtrum Generalem in hoc officio confirmatus.*

*Ita eſt* Ego *F. Petrus Joannetius de Molina* Mini*ſter Generalis.*

*Ita eſt* Ego *F. Joannes* de la Torre *ex-Commiſſarius Generalis.*

*Ita eſt* Ego *F. Mattias de Velaſco Commiſſarius Generalis Indiarum.*

*Ita eſt* Ego *F. Petrus Ignatius de Gainza Definitor Generalis, & Secretarius.*

## Electio Adm. R. P. Commiſſarii Generalis Curiæ.

### *Hæc eſt electio Commiſſarii Generalis Romanæ Curiæ Obſervantium.*

*PRopoſito per Reverendiſſimum Patrem noſtrum Petrum Joannetium de Molina Miniſtrum Generalem PP. Vocalibus Regularis Obſervantiæ hujus Ciſmontanæ Familiæ Adm. R. P. F. Bernardino a Terlitio Obſervantis Provinciæ Sancti Nicolai Lectore Jubilato, ex-Deffinitore Generali, qui pridem pro hujuſmodi officio fuerat qualificatus ab A. RR. PP. Deffinitorii Generalis ejuſdem Familiæ, fuit canonicè electus ......, & ab eodem Rmo P. Noſtro Miniſtro Generali confirmatus die 18. Maii anni 1750. in Comitiis Generalibus.*

*F. Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis.*

*F. Raphael a Lugagnano ex-Miniſter Generalis immediatus, & Commiſſarius Generalis.*

*F. Joannes Antonius a Sancta Cruce Lector Jubilatus, & ex-Vice-Commiſſarius Generalis.*

## Electio Adm. R. P. Procuratoris Generalis Reformatorum.

IN NOMINE DOMINI AMEN.

### *Hæc eſt electio Procuratoris Generalis Reformatorum.*

*PRopoſito per Rmum Patrem Noſtrum Petrum Joannetium de Molina Miniſtrum Generalem PP. Vocalibus Reformatis hujus Ciſmontanæ Familiæ Adm. R. P. F. Joſepho Maria de Gallipoli, Reformatæ Provinciæ Sancti Nicolai Lectore Emerito, & Definitore Generali, qui pridem pro huju-*

juſmo-

*juſmodi officio fuerat qualificatus a* PP. *Definitorii Generalis ejuſdem Reformatæ Familiæ, fuit canonicè electus* . . . . . . *& ab eodem Remo Patre Noſtro Generali confirmatus die* 18. *Maii* 1750. *in Comitiis Generalibus* .

*F.* Petrus *Joannetius de Molina Miniſter Generalis* .

*F. Raphael a Lugagnano ex-Miniſter Generalis immediatus, & Commiſſarius Generalis* .

*F. Joannes Antonius a S. Cruce Lector Jubilatus, & ex-Vice-Commiſſarius Generalis* .

## Electio Adm. R. P. Procuratoris Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum.

### In Nomine Domini Amen.

HÆc *eſt electio Adm. R.* P. Procuratoris *Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum per* PP. *Vocales in Conventu Sanctæ Mariæ de Ara-Cæli capitulariter, & legitimè congregatos anno* 1750. *die* 18. *Maii canonicè, & ritè celebrata,* P*ræſidente in ea Remo* Patre Petro *Joannetio de Molina totius Ordinis Miniſtro Generali, in qua quidem electione pro* Procuratore *Generali Diſcalceatorum, & Recollectorum Adm. R.* P. Paulus *Beauchamps habuit votum unum, & Adm. R.* P. *Marcus Antonius Gravois habuit quinquaginta ſeptem. Et Ego F.* Paulus *Beauchamps ejuſdem Ordinis* Profeſſus, Pro*vinciæ Recollectorum Sancti Bernardini Custos, unus ex Diſquiſitoribus, & Compromiſſariis virtute compromiſſi in me, & in Socios meos limitati, nomine omnium, qui in dictam electionem convenerunt, & conſenſerunt, præfatum Adm. R.* P. *Marcum Antonium Gravois, in quem major pars Vocum conſentit, in* Procuratorem *Generalem Diſcalceatorum, & Recollectorum canonicè electum nomino, & ſic electum enuncio, in Nomine* Patris, *& Filii, & Spiritus Sancti* . *Amen* .

*F. Pe-*

*F. Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis.*

*F. Joſeph a Spiritu Sancto Miniſter* Provincialis *S.* Pauli *Diſquiſitor.*

*F. Ignatius a Nivibus Cuſtos* Provinciæ *Sancti Antonii in Braſilia* Diſquiſitor.

*F.* Paulus *Beauchamps Cuſtos* Provinciæ *Sancti Bernardini Diſquiſitor, & Diſquiſitionis Secretarius.*

Die 19. Maii.

*Peracta eſt hac die electio Definitorum Generalium utriuſque Familiæ.*

## Electio Definitorum Generalium pro Ultramontana Familia.

ADm. *Reverendus* Pater *Antonius Saura Miniſter* Provinciæ *Obſerv. Cathalauniæ.*

*Adm. Rev.* P. *Antonius de Aguirre* Pro-*Miniſter* Provinciæ *Obſerv. de Chile in* Peruano *Regno.*

*Adm. Rev.* P. *Joannes Conejero Cuſtos* Provinciæ *Bæticæ Diſcalceatorum.*

*Adm.* R. P. *Joſeph Foulquet* Pro-*Miniſter* Provinciæ *Aquitaniæ recentioris.*

*Adm.* R. P. *Sebaſtianus* Philippes *Cuſtos* Provinciæ *Turoniæ* Pictavienſis.

*Adm.* R. P. *Tiburtius Barat Miniſter* Provinciæ *Sancti Dionyſii Recollectorum in Gallia.*

*Adm.* R. P. *Hieronymus Ulamiynk Miniſter* Provinciæ *S. Joſephi in Comitatu Flandriæ.*

*Adm.* R. P. *Gaudioſus Mayr Cuſtos* Provinciæ *Argentinæ.*

*Adm.* R. P. *Ignatius a Nivibus Cuſtos* Provinciæ *Sancti Antonii Diſcalceatorum in Braſilia.*

*Adm.*

*Adm. R. P. Joachinus a Sancto Joſeph Miniſter Provinciæ Tertii Ordinis Luſitaniæ.*

## Pro Familia Ciſmontana.

*Adm. R. P. Anacletus a Roma Miniſter Obſervantis Provinciæ Romanæ.*

*Adm. R. P. Clemens a Panormo Miniſter Obſervantis Provinciæ Vallis-Mazzariæ.*

*Adm. R. P. Antonius Scutari Miniſter Obſervantis Provinciæ Candiæ.*

*Adm. R. P. Joſephus a Valcovarino Cuſtos Obſervantis Provinciæ Boſnæ Argentinæ.*

*Adm. R. P. Philippus a Vigone Miniſter Obſervantis Provinciæ Sancti Thomæ.*

*Adm. R. P. Bernardinus ab Averſa Obſervantis Provinciæ Terræ Laboris, ex-Secretarius Generalis.*

*Adm. R. P. Cæſarius a Bononia ejuſdem Reformatæ Provinciæ ex-Miniſter, & ex-Secretarius Generalis.*

*Adm. R. P. Joannes Petrus a Roma Reformatæ Provinciæ Romanæ Cuſtos, & Lector Emeritus.*

*Adm. R. P. Alexius a Neapoli Cuſtos Reformatæ Provinciæ Terræ Laboris.*

*Adm. R. P. Raymundus Tuorkouski Miniſter Provinciæ Reformatæ Poloniæ minoris.*

# SESSIO IX.

Die 20. Maii.

*STudium Theologicum Provinciale Provinciæ Bulgariæ erigitur in Studium primæ Claſſis. Inſtantiæ verò factæ, quod tempus Lecturæ in dicto Studio Provinciali peractæ*

 compu-

*computari deindè valeat pro Jubilatione : Reſponderunt : negativè = Reſidentia de Caraſebez dictæ Provinciæ Bulgariæ in Conventum formalem erigitur .*

*Studium Theologicum Provinciale ad S. Annam Obſervantis Provinciæ Poloniæ Minoris in ſtudium Generale ſecundæ Claſſis erigitur .*

*Viſa petitione Provinciæ Carthaginenſis pro deputatione ſex Patrum , qui intra limites* Provinciæ *exerceant munus Miſſionariorum : Decrevit Venerabile Definitorium Generale , remitti ipſam Reverendiſſimo Patri Miniſtro Generali , qui , auditis Patribus Collegii , decernat quidquid ſecundum Deum noverit expedire .*

*Propoſito dubio : An Pater Provincialis Albaniæ , non obſtante quod per quinque Menſes fuerit in Viſitatione Provinciæ Raguſiæ juſſu Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis , gaudere poſsit de jure privilegiis , & favoribus conceſsis Provincialibus expleto biennio ? Reſpondet Venerabile Definitorium , gaudere debet Orator prærogativis Patris Provinciæ ex juſtitia in Caſu .*

# SESSIO X.

Die 21. Maii.

*INtellecto per PP. Definitorii Generalis Ultramontanæ Familiæ , quod , occaſione Bellorum , diverſis temporibus , aliqui Superiores Provinciarum potentia ſæculari ſuffulti , occuparunt Conventus aliarum Provinciarum , unde ſæpius , atque ſæpius quærimoniæ hinc inde delatæ ſunt ad Capitula Generalia : Iidem Patres ſupradicti Definitorii Generalis huic malo de remedio providere cupientes , decreverunt præcipere , ac mandare , quemadmodum mandant , & præcipiunt per Sanctam Obedientiam , & ſub pœna excommunicationis latæ*

*ſen-*

*ſententiæ, omnibus Fratribus, tam Superioribus, quam Subditis Ultramontanæ Familiæ, ut abſtineant ab hujuſmodi violentis occupationibus, contra Leges Ordinis, & omnia jura.*

*Definitorium Generale confirmat diviſionem Provinciæ Sancti Nicolai Barenſis Obſervantium, & Sancti Antonii Lycienſis, ſilentiumque imponit omnibus Cauſis ſuper hoc articulo diviſionis, ac præcipit, ut diviſio peracta omnino ſervetur, inhærendo etiam Brevi ſan. mem. Clementis XII. ac Decreto de ordine Sanctiſsimi D. N.* BENEDICTI XIV. *lato ſub die* 20. *Septembris* 1742. *ab Eminentiſsimo Cardinale Protectore.*

*Conceditur Provinciæ Recollectorum S. Antonii ab Artheſia licentia dimittendi Sorores Tertii Ordinis, vulgò* des Chariottes, *Civitatis Atrebatenſis, quæ voto Clauſuræ non adſtringuntur, nec eam ſervant.*

*Definitorium Generale, & Diſcretorium Generale Ultramontanæ Familiæ, juſtæ etiam Sanctitatis Suæ intentioni inhærens, decernit, ut in futurum Poſtulatores Canonizationum, qui completo laudabiliter Sexennio muneris Poſtulatoris, eaſdem Cauſas Canonizationum finaliter terminaverint, gaudeant titulo, & præcedentia dumtaxat ex-Provincialium, dummodo priùs fuerint Lectores Theologiæ, vel Definitores. Et præſenti privilegio gaudere debeat P. Joannes de Velaſco, qui Cauſam Sancti Petri de Regalato feliciter, & laudabiliter terminavit.*

*Inſtantibus Provinciis Excalceatis Dominio Sereniſsimi Regis Luſitaniæ ſubjectis, pro conceſſione unius Definitoris Generalis, & pro alternativa in officio Procuratoris Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum — Definitorium Generale Ultramontanum ad primum reſpondit: NIHIL INNOVANDUM ESSE. Ad ſecundum verò, auditis, & conſentientibus partibus intereſſe habentibus, decrevit, quod in poſterum*

*rum trina debeat eſſe alternativa dicti officii inter Nationes Franciæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ: Cum hoc tamen, quod una natio habeat Procuratorem Generalem, alia Secretarium Generalem Curiæ, alia verò Agentem a præfato Procuratore Generali in omnibus, & per omnia dependentem, qui completo laudabiliter dicto officio, prærogativis ex-Secretariis Generalibus Curiæ conceſſis gaudere debebit. Et in proximo futuro Capitulo Generali eligi debeat Procurator Generalis ex natione Luſitana, Secretarius Curiæ ex Francia, & Agens ex Hiſpania, & ſic poſtea ſucceſſivè.*

Hoc Capituli Generalis Decretum confirmatum fuit Literis Apoſtolicis, quæ referuntur in Summ. num. VI.

*Viſis ſtatutis municipalibus præſentatis a Miniſtro Provinciali Provinciæ Solitudinis Diſcalceatorum in Regno Luſitano pro ipſa Provincia: Reſponſum fuit: Confirmantur Statuta, de quibus in precibus; Et confirmatur a Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali licentia ea Typis vulgandi, jam conceſſa a Reverendiſſimo Patre ex-Commiſſario Immediato.*

## SESSIO XI.

Die 22. Maii.

*Propoſitis quatuor dubiis a Cathedraticis, ac Doctoribus Theologicis Univerſitatis Salmantinæ, quorum primum eſt: Utrum computandum ſit tempus ad jubilationem dictis Doctoribus a die inſtitutionis in Religione, vel aſsignationis in Univerſitate? Secundum: Utrum exercitia, quæ in Univerſitate dictis Patribus competunt, ſint ſufficientia pro jubilatione aſſequenda, abſque eo quod Theſes propugnent, ſeu præſideant in Conventu? Tertium: An dicti Lectores Univerſitatis Salmantinæ præcedere debeant Lectoribus Theologiæ actualibus? Quartum: An poſsint poſt Religionis Jubilationem,*

*nem, ſecundam aſſequi, ſi per ſexennium legerint in Univerſitate? Omnibus reſponſum fuit = Remittitur arbitrio, & prudentiæ Reverendiſsimi Patris Miniſtri Generalis, qui, auditis Partibus, decernat quid quid ſecundum Deum viderit expedire.*

*Definitorium Generale inhærens voto Generalis Diſcretorii concedit Capitulis Provinciarum, videlicet Diſcretorio Capitulari cum approbatione Definitorii, ut Scriptoribus publicis, & præſertim Chronologis earumdem Provinciarum, poſtquam laudabiliter ſcripta Typis vulgaverint, ſaltem duobus Tomis in fol. concedant præcedentiam, & privilegia ſecundum uniuſcujuſque laborem.*

*Proteſtatio Provinciæ Sancti Andreæ in Belgio contra Provinciam Flandriæ, circa Conventus Montenſem, Tornacenſem, & Binchienſem, admittitur ſic, & inquantum. Admittitur pariter proteſtatio contra Provinciam Sancti Andreæ favore Provinciæ Flandriæ circa quatuor Conventus ab ipſa Provincia Flandriæ ablatos.*

*Generale Capitulum decernit, quod in Provinciis Reformatis, in quibus vigent privilegia Lectorum Emeritorum, Studia Theologica, ad eadem privilegia obtinenda, debere eſſe cum ſequenti numero Studentium, videlicet: Ubi unus tantum fuerit Lector Theologiæ, ad minus quatuor Studentes; ubi duo Lectores, ſex ad minus; ubi vero tres Lectores, decem Studentes, vel ad minus octo eſſe debeant. Quod ſi aliqua Provincia Conventus non habeat capaces ſuſtinendi onus talis numeri Studentium, privata declaratur privilegiis Lectorum Emeritorum.*

*Idem Generale Capitulum decernit interpolationem requiſitam ad hoc, ut quis, poſtquam munus Definitoris Provincialis explevit, iterum in Definitorem eligi valeat, neceſſario requiri, ſub nullitate electionis, eſſe debere ſex annorum Capitularium.*

*Ad inſtantias Illmõrum DD. Vexilliferi, & Priorum Civitatis Aſſiſii, quibus petebatur votum in Capitulo Provinciali pro Præſidente Hoſpitii Eccleſiæ Novæ in præfata Civitate ſiti, reſcriptum fuit: Oratores inſtent pro erectione, ſeu commutatione Hoſpitii in Conventum.*

*Provincia Obſervantium Ruſſiæ in Polonia ſupplicavit pro conceſſione tertii Lectoris in Studio Lublinenſi: reſcriptum fuit = Pro Gratia, remanente Studio Generali ſecundæ Claſsis.*

# SESSIO XII.

Die 23. Maii.

*A Provincia Obſerv. S. Hieronymi in Dalmatia ſupplicatum fuit, ut Studium erectum in Conventu Sanctæ Annæ Juſtinopolis poneretur in ſerie Studiorum Generalium primæ Claſſis, fuit reſcriptum = Pro gratia: apponatur in Serie Studiorum Generalium primæ Claſſis.*

*Admittuntur ſic, & in quantum proteſtationes Provinciarum Sancti Jacobi, S. Gabrielis, & S. Pauli, contra Provinciam Conceptionis Diſcalceatorum noviter erectam, circa votum dandum in electione Vicarii Generalis, vel Vice-Commiſſarii Generalis, & interim manuteneantur Provinciæ Oratrices in ſuo Poſſeſſorio.*

*Facta ſupplicatione per Patrem Pro-Miniſtrum Sancti Ludovici, nomine Patris Commiſſarii Terræ Sanctæ reſidentis Maſsiliæ, ad hoc, ut ſicut Itali ſolvunt omnes expenſas ſuorum Religioſorum euntium ad Terram Sanctam, vel redeuntium, dum Maſsiliæ commorari tenentur; Ita ſtatuatur pro Hiſpanis, & Luſitanis, ob magnas expenſas, quibus gravatur Hoſpitium Maſsiliæ = Reſponderunt = Remittitur arbitrio Reverendiſsimi Patris Miniſtri Generalis, qui verificata expoſitione provideat.*

*Ad in-*

*Ad inſtantiam Provinciæ Legionenſis Tertii Ordinis petentis confirmari in jure benedicendi Habitus, & Saccos, eoſque diſtribuendi pro Fidelibus Defunctis, confirmatur Decretum Generalis Capituli Valliſoletani de anno* 1740. *ſuper hoc editum; cum hoc tamen, quod Conventus Tertii Ordinis, ſicut & alii Conventus primi Ordinis, ſe contineant intra limites ſibi aſsignatos, ſive per Leges, ſive per antiquam conſuetudinem, ſub pœnis arbitrio Reverendiſsimi Patris Miniſtri Generalis infligendis.*

*Supplicationi pro Cuſtodibus Ultramontanis de aſsignando ſibi Socio beneviſo, Reſponderunt = Serventur Conſtitutiones Generales.*

*Decernitur pro Ultramontana Familia non poſſe eumdem Lectorem intra terminum, & curſum quindecim annorum ſui Lectoratus, docere Philoſophiam bis, cum jure ad Jubilationem.*

*Propoſita per Patres Vocales Provinciæ Sancti Didaci Diſcalceatorum in Mexico inſtantia, ut declararetur Statutum Ultramontanæ Familiæ cap.* 13. §.7. *num.*2. *pro Indis, in ea parte, qua dicit = Ad Miniſtrum, ſeu Vicarium Provincialem illius Provinciæ, in qua, vel in cujus territorio mori contingat, pertinet habere Sigilla, convocare, præſidere, & ſuffragare in electione Vice-Commiſſarii = Definitorium Generale unanimiter, & nemine diſcrepante, declarat per illa verba = vel in cujus territorio = intelligi Provinciam illam, quæ habet Conventum proximiorem loco, ubi contigerit decedere Commiſſarium Generalem; & ita ſervari mandavit.*

*Lecta inſtantia pro parte Provinciæ Regularis Obſervantiæ Sancti Joannis Evangeliſtæ de Azores, Definitorium Generale, attenta remiſſione Sanctiſſimi Domini Noſtri, concedit illi Provinciæ, ut Definitorium Provinciale facultatem habeat proponendi Superiori Generali pro tempore tres Viros graves, qui ſint, vel fuerint Lectores Jubilati, ſeu Definitores,*

*tores, vel Cuſtodes ejuſdem Provinciæ, aut Cuſtodiæ Sancti Michaelis, ex quibus Superior Generalis unum debeat aſſumere pro viſitanda eadem Provincia, & convocando, atque præſidendo Capitulo, niſi gravem, & urgentem Cauſam aliquando habuerit ad aliter diſponendum.*

*Conceditur Vocalibus Indiarum Occidentalium jus ſubrogandi, non ſolum pro Definitoribus, ſed etiam pro Patribus digniori, & immediato, dummodo in ipſorum Provincia non adſint ex-Provinciales, quibus competere poſſit talis ſubrogatio.*

*Vocales Ultramontani Familiæ Ultramontanæ gaudeant privilegiis conceſſis Vocalibus Indiarum a Generali Capitulo Valliſoletano de anno* 1740. *tit.* pro familia Ciſmontana *num.*15. *cum explicatione facta circa ſubrogationem favore Vocalium Indiarum Occidentalium.*

# SESSIO XIII.

Die 24. Maii.

CUm Clementis XII. felic. recordat. Literis Apoſtolicis ſancitum fuiſſet, ut in caſu vacantiæ Officialium Generalium in Curia Romana, deberent eorumdem Succeſſores deſumi ex eadem Natione, ex qua fuiſſent Prædeceſſores, Reverendiſſimus Pater Miniſter Generalis ſedulo proſpiciens publicæ Ordinis utilitati, & bono, ſupplicavit Sanctiſſimo pro hujus legis abrogatione, qui dignatus eſt eamdem Apoſtolico reſcripto abrogare, priſtinamque libertatem hac in re Ordini reſtituere: quod confirmatum quoque fuit Literis Apoſtolicis in forma Brevis, quæ dantur in Summario num. VII. Itaque a Definitorio Generali,

Pro Procuratoratu Ordinis in Caſu vacantiæ approbantur ſequentes.

*R. P. Miniſter Provinciæ Aragoniæ Obſervantium.*
*R. P. Miniſter Prov. Immac. Conceptionis in Hiſpania.*
*R. P. Pro-Miniſter Prov. Franciæ Marinus* des Fontaines.

Pro Commiſſariatu Curiæ approbantur ſequentes.

*R. P. Pro-Miniſter Provinciæ Seraphicæ.*
*R. P. Miniſter Provinciæ Principatus.*
*R. P. Cuſtos Provinciæ Sancti Angeli.*

Pro Procuratoratu Reformatorum in Caſu vacantiæ approbantur ſequentes.

*R. Adm. P. Proſper a Brixia, Lector Emeritus, ex-Miniſter, & ex-Definitor Generalis Ordinis.*
*R. P. Miniſter Provinciæ Terræ Laboris.*
*R. P. Joſeph a Malgrate ex-Provincialis Prov. Mediolanenſis.*

Pro Procuratoratu Diſcalceatorum, & Recollectorum approbantur ſequentes.

*R. P. Valentinus Deſmaret Provinciæ Sancti Antonii in Artheſia Recollectorum.*
*R. P. Paulus Beauchamps Cuſtos Prov. S. Bernardini Recollect.*
*R. P. Bernardinus Barbazan Cuſtos Sancti Nicolai in Lotharingia Recollectorum.*

Inſtitutus, & electus fuit in Guardianum Sacri Montis Syon, & Cuſtodem Terræ Sanctæ.

*Rev. Adm. P. Proſper a Brixia Lector Emeritus, ex-Miniſter Provinciæ Brixiæ, & ex-Definitor Generalis Ordinis.*

*Cum Cuſtodia Sabaudiæ petierit reuniri cum Provincia Sancti Bonaventuræ, & ejuſdem Provinciæ conſenſum jam ad hunc finem obtinuerit: Reſpondit Definitorium Generale utriuſque Familiæ, quod reuniatur, ſervatis quæ de jure, & prudenter ſervanda ſunt.*

*Relata coram Definitorio Generali utriuſque Familiæ inſtantia Patris Pro-Motoris Fiſcalis Ordinis contra duo Scripta Typis vulgata, quorum unius titulus eſt = CARTA RESPUESTA = videlicet Epiſtola reſponſiva, ſub nomine P. Auguſti-*

*guſtini* de Puchol : *& alterius titulus* = *RESPUESTAS DE LA VERDAD* : *nempe Reſponſiones Veritatis*, *ſub nomine* *P. Hyacinthi* Palacios, *& comperto*, *quod reſperſa ſunt propoſitionibus*, *& doctrinis deſtruentibus unitatem Ordinis*, *& juriſdictionem Miniſtri Generalis lædentibus* : *Omnes Patres Deſinitorii Generalis utriuſque Familiæ unanimiter ea reprobant*, *& damnant*, *eorumque Lecturam univerſi Ordinis Fratribus prohibent*, *declarando*, *& profitendo*, *Juriſdictionem Miniſtri Generalis pro tempore eſſe ſupremam in toto Ordine*, *ſeque extendere ad utramque Familiam*, *ad præſcriptum Seraphicæ Regulæ*, *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, *& Ordinis* : *Et committitur eidem Rmo Patri Miniſtro Generali*, *ut inquirat*, *& procedat contra Autores*, *prout de jure*.

*Committitur*, *& mandatur Patribus Adm. Reverendis Officialibus Curiæ Ultramontanæ Familiæ*, *ut aſſiſtant efficaciter Patribus Miſſionariis Provinciæ Angliæ in Cauſa*, *quam habent coram Sanctiſſimo*, *& Congregatione de Propaganda Fide*, *eamque promoveant*, *& adjuvent*, *utpotè conſervationem ejuſdem Fidei concernentem*.

Hac die, Sanctiſſimæ Trinitatis feſto, Beatiſſimus Pontifex uberiora deſiderans ſui amoris, & pietatis erga pauperculam Familiam noſtram pignora dare, iterum ad Aracœlitanum Templum poſt Veſperas ſe contulit, ac debita Euchariſtiæ Sacramento precibus exhibita veneratione, dum a Muſicis Antiphona *Ecce Sacerdos magnus* canebatur, ad Solium progreſſus, quod e latere Evangelii extra Aram principem erat erectum, Fratres omnes ad oſculum pedis admiſit, variis interim pulſatis harmonicis inſtrumentis. Fratribus autem omnibus clementiſſime ad oſculum pedis admiſſis, conceſſit ſingulis 40. plenarias Indulgentias pro eorum arbitrio aliis diſtribuendas, præter eas pro iiſdem Fratribus, eorumque conſanguineis, uſque ad tertium gradum, ac inſuper Altare privilegiatum ſemel in quacumque hebdomada omnibus Vocalibus, eorumque Sociis Sacerdotibus, eſt elargitus.

Ut autem pro tam ſingularibus in nos collatis a Sanctitate Sua beneficiis, aliquod ſaltem grati animi noſtri monumentum ſupereſſet, Reverendiſſimus Pater Miniſter Generalis decretum condidit, quod unanimi omnium conſenſu fuit a Definitorio Generali probatum, quo ſancitæ ſunt preces ab univerſo Ordine recitandæ, & peragendæ pro illius incolumitate, ac ſoſpitate, donec in vivis degat; & pro ejus animæ requie in perpetuum, cum ex hac vita pro humanæ carnis conditione deceſſerit: quod ſerius, quam fieri poſſit, evenire magnopere exoptamus. Decretum vero antedictum Pontificio diplomate fuit confirmatum, quod cum eodem inſerto Decreto refertur in Summario num. VIII.

# SESSIO XIV.

Die 25. Maii.

*LEcto ſupplici Libello PP. Provincialis, & Diſcretorum Almæ Provinciæ Seraphicæ Regularis Obſervantiæ Sancti P. N. Franciſci, quo ſupplicant, ut aliquod præmium decernatur pro Pœnitentiariis Sacro-Sanctæ Baſilicæ Sanctæ Mariæ Angelorum de Portiuncula = Decreverunt omnes Patres utriuſque Familiæ, ut expleto laudabiliter Decennio continuo hujuſmodi exercitii Pœnitentiariorum in dicta Baſilica, gaudeant prærogativis ex-Definitorum, immediate poſt eos, qui Definitores extiterunt in ſua Provincia, vel erunt in poſterum; & præcipitur Patribus Miniſtro, & Guardiano dicti Conventus, ut charitativè tractent dictos Pœnitentiarios, eiſque omnia neceſſaria, tam quoad victum, quam quoad veſtitum, ac ſi eſſent Filii ejuſdem Provinciæ, eſto ſint alterius Familiæ, aut Provinciæ.*

*Provincia S. Ladislai Lectorum Jubilatorum poſtulatum exponit, qui Jubilationis titulo omnibus Definitoriis adeſſe, & ad actus Definitoriales jus habere prætendunt, unaque ſimul definitivam hac ſuper re ſententiam expoſcit = Reſponſum fuit, hoc Jubilatis privilegium minime competere.*

 Ea-

*Eadem Provincia ſupplici inſtat Libello, ut P. F. Bernardinus Major*, ob nonnulla crimina, *quorum extrajudicialiter tantum inſimulatur, Lectura Generali privetur, nec non ambo Studia Generalia Zagabriæ, & Quinque Eccleſienſe revocentur, ac tollantur = Reſponſum fuit, ſufficientia non eſſe contra Patrem F. Bernardinum Major objecta ad hunc Lectura Generali privandum; Studiorum verò præmemoratorum Generalium ſuppreſſionem arbitrio, & prudentiæ Rmi Patris Miniſtri Generalis eſſe relinquendam.*

*Præfatus Lector Pater F. Bernardinus Major reſtitutionem petit in integrum, ut anni, quibus Sacram Theologiam non legit, quia a Patribus* Provinciæ *impeditus, ipſi ad Jubilationis Lauream conſequendam computentur; adeoque* Patentales *Jubilationis Literas petit, eſto non niſi quinque annorum ſpatio Sac. Theologiam legerit. Reſponſum fuit præfatum Lectorem jus ad jubilationem non acquiſiturum, niſi expleto in hoc munere integro, ac non interrupto Decennio.*

*Miniſter Obſervantis* Provinciæ *Tuſciæ cum ſuo Definitorio Hoſpitium Sancti Fabiani in* Pratenſi *urbe ſitum, ubi viginti Fratres degunt, denominatione, ac* Privilegiis *Conventus donari poſtulat; idemque cupit Miniſter Obſervantis* Provinciæ *Sancti Angeli, quoad Hoſpitium ſub Sancti Honuphrii titulo in Oppido* Petræ *ſitum = Reſponſum fuit, utrique Hoſpitio denominationem, ac privilegia Conventus in poſterum donari, dummodo reliquæ facultates non deſint.*

*Guardianus, & Diſcreti Conventus Dominæ Liburni Obſervantis* Provinciæ *Tuſciæ, ob Religioſorum Hoſpitum frequentiam, & maxime illorum, qui ad Sacra Terræ Sanctæ Loca pergunt, vel ab iis redeunt, ſubſidium aliquod a Sindico Terræ Sanctæ præſtandum pro tali gravamine humillimè poſtulant. Reſponſum fuit Sindicum Terræ Sanctæ Sindico Conventus ſolvere debere quotidie pro Laicis Terræ Sanctæ addictis aſſes,* vulgò bajocchì, *duodecim; pro Sacerdotibus vero, ſi Sacrum celebrent, duos, ſecus, æque ac pro Laicis, duodecim.*

*Pater*

Pater F. *Benedictus de Sulmone Obſervantis* Provinciæ *Sancti Bernardini, cum quatuor annis, totidemque menſibus, Theologiam in Studio Sexennali legerit, pro Sexennii complemento computari ſibi poſcit tres annos, quibus Moralem Theologiam juxta Ordinis Conſtitutiones alibi legit = Reſponſum fuit* = negativè.

P. F. *Bernardinus a Monteſecco, ſexennali Theologiæ peracto curſu, ſuo ſucceſſori loco jam dudum conceſſo, trium publicarum Concertationum muneri ne utiquam ſatisfeciſſe poſtea cognovit, & idcirco facultatem pro hoc adimplendo debito, eſto lecturæ ceſſerit, efflagitat = Reſponſum fuit denegandam eſſe ipſi hujuſmodi facultatem.*

*Nonnullarum* Provinciarum *ſexennales Lectores, præter præmium ipſis a Statutis* Ordinis *conceſſum, aliud exoptant, quo ſtatim ac Sexennium expleverint, inter Definitores habituales cooptentur = Reſponſum fuit, nihil hac ſuper re eſſe innovandum, ſolumque ipſis poſtremum inter Definitores habituales locum competere, quando inter Aggregatos de numero in qualibet* Provincia *Statutos, ac determinatos accenſebuntur. Dum autem legunt, præcedentiam ſuper omnes, qui Cuſtodes, vel Definitores fuerint, obtinere debent.*

P. F. *Paulus Franciſcus a* Portuferrajo *cum Sacræ Theologiæ ſexennium expleverit menſe Aprilis anno* 1739. *ac menſe Julii ejuſdem anni Magiſtri Novitiorum curſum abſolverit* P. F. *Hieronymus de Floriano, ante hunc aggregationis Lauream prætendit, eo quod in Comitiis Generalibus anno* 1740. *Valliſoleti celebratis ſexennalis Theologiæ munus ad priſtinum ſex annorum tempus redactum fuerit = Reſponſum fuit = Oratorem aggregationem ſuam ab anno* 1740. *auſpicari debere;* Patrem *vero Hieronymum de Floriano remanere in ſuo jure aggregationis obtentæ anno* 1739.

Provincia *Hungariæ Marianæ facultatem petit acceptandi* Legatum *perpetuum Miſſarum* 300. *quotannis celebrandarum a* Provinciæ *Sacerdotibus, uniuſque Miſſæ ſemel in Hebdomada a Sacerdotibus in infirmaria* Poſonienſi *degen-*

*gentibus, cum eleemoſina eidem Infirmariæ elargienda decem mille Florenorum pro una vice tantum.* Præterea, *ut Studium Generale ad S. Jacobum Tyrnaviæ declaretur primæ Claſſis; Studia verò Javarini ad Sanctum Stephanum* Prothomartyrem, *&* Poſonii *ad Annunciatam, pro Generalibus habeantur ſecundæ Claſsis = Reſponſum fuit = quad primum, incapaces eſſe* Ordinis *Minorum Fratres acceptandi præfatum onus in forma expreſſa, ac ſolummodo nos poſſe Miſſas annuatim celebrare annuæ congruæ eleemoſinæ reſpondentes. Quoad ſecundum verò, gratiam concedi poſſe, prout conceditur.*

*Conſtito in Definitorio Generali, quod Excellentiſſimus Marchio de Fuente & Sol per legitimam ſucceſſionem poſſidet Marchionatum de Cañete, cui annexus eſt* Patronatus Ordi*nis pro Capitulis Generalibus Ciſmontanæ Familiæ, & Congregationibus Generalibus Ultramontanæ, omnes* Patres *unanimi conſenſu acceptarunt, & cognoverunt dictum Excellentiſſimum* Dominum *Marchionem de Fuente, & Sol de Cañete, & Succeſſores ejus in hoc ſecundo Marchionatu, in* Patronum Ordinis, *ut ſupra dictum eſt. Comperto tamen, quod gravamina* Ordini *reſultantia ex inſtrumento* Patronatus *longè ſuperant eleemoſinam aſſignatam in ſubſidium Religionis, iidem* Patres *Definitorii Generalis commiſſerunt, & in Domino hortati fuere Reverendiſsimum* Patrem *Miniſtrum Generalem, quatenus cum dicto Exmo Domino ſerio agat, ut attentis ſupradictis, contentus ſit accreſcere eleemoſinam congruentem.*

*Agnito, quod in impreſsione Statutorum Valliſoletanorum* 1740. *tit.* pro Ciſmontana Familia *num.7. irrepſerit aliquis error, ſic concludatur dictus ſeptimus numerus, prout in Originalibus: videlicet „ Tertio Magnus Conventus* Pariſien-
„ *ſis ponatur immediatè poſt* Provinciam *Sancti Jacobi de*
„ *Xaliſco, prout uſque nunc fuerat. Quarto ſub* num 72.
„ *Familiæ Ciſmontanæ ponatur* Provincia *S. Joſeph in Comi-*
„ *tatu Flandriæ, non autem in Gallia, ſicuti poſitum fuit.*
„ *Tandem* Provincia *Sancti Franciſci Lugdunenſis ponatur*
„ *poſt* Provinciam *Sanctæ Mariæ Magdalenæ.*

*Quo-*

*Quoniam plures aliæ inſtantiæ promotæ ſunt coram Definitorio Generali, quarum diſcuſsio exigit longum tempus, & ſumus in tempore legali diſſolvendi Capitulum; PP. Definitorii Generalis remiſerunt eas Reverendiſsimis Miniſtro, & Commiſſario Generalibus reſpectivè.*

Sequuntur ſubſcriptiones factæ propria manu a Patribus Reverendiſſimi Definitorii Generalis, & Actis originalibus horum Comitiorum adpoſitæ, quæ Acta, ut a reliquis, quoad fieri poterat, diſtinguerentur, impreſſa fuerunt typis, quos vocant, italicis.

Frater Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis.
Frater Raphael a Lugagnano ex-Miniſter Generalis immediatus, & Commiſſarius Generalis.
Fr. Joannes *de la Torre* ex-Commiſs. Gen. immediatus.
Fr. Jo: Antonius a S. Cruce Diſcretus perpetuus Familiæ.
Fr. Mathias de Velaſco Commiſſarius Generalis Indiarum.
Fr. Antonius Barros Procurator Generalis Ordinis.
Fr. Bernardinus a Terlitio Commiſſarius Generalis Curiæ.
Fr. Joſeph Maria a Gallipoli Proc. Gen. Reformatorum.
Fr. Marcus Antonius Gravoix Procurator Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum.
Fr. Joſeph Maria de Fano ex-Proc. Gen. Ordinis immediatus.
Fr. Joannes Franciſcus Iduri ex-Commiſſarius Gen. Curiæ.
Fr. Alexius a Roma ex-Proc. Gen. Reformat. immediatus.
Fr. Antonius Saura Definitor Generalis.
Fr. Joſephus Foulquet Definitor Generalis.
Fr. Joannes Conejero Definitor Generalis.
Fr. Hieronymus Ulamiynck Definitor Generalis.
Fr. Joachinus a Sancto Joſeph Definitor Generalis.
Fr. Tiburtius Barat Definitor Generalis.
Fr. Ignatius a Nivibus Definitor Generalis.
Fr Sebaſtianus Philippes Definitor Generalis.
Fr. Gaudioſus Mayr Definitor Generalis.
Fr. Antonius Scutari Definitor Generalis.

Fr.

Fr. Philippus de Vigone Definitor Generalis.
Fr. Bernardinus ab Averſa Definitor Generalis.
Fr. Raimundus Tuorkouski Definitor Generalis.
Fr. Anacletus de Roma Definitor Generalis.
Fr. Joannes Petrus a Roma Definitor Generalis.
Fr. Clemens a Panormo Definitor Generalis.
Fr. Cæſarius a Bononia Definitor Generalis.
Fr. Joſephus a Valcovarino Definitor Generalis.
Fr. Alexius a Neapoli Definitor Generalis.
Fr. Antonius Aguirre Definitor Generalis, & Secretarius Generalis Definitorii Generalis.

# FR. PETRUS JOANNETIUS DE MOLINA,

Sac. Theologiæ Lector, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immac. Virg. Concep. Theologus, ac totius Ord. Fratrum Min. Miniſter Generalis & Servus.

*Dilectis Nobis plurimum in Chriſto univerſis PP. FF. & Sororibus tam Superioribus, quam Subditis totius dicti Noſtri Ordinis ſalutem & Seraphicam benedictionem.*

AD Supremam totius Ordinis Fratrum Minorum Præfecturam, nullis meritis noſtris, ſed inſcrutabili Divinæ Sapientiæ conſilio evecti, in Generalibus Comitiis coram Sanctiſſimo ac Sapientiſſimo Pontifice BENEDICTO XIV. Romæ in Aracœlitano Templo celebratis in Vigilia Pentecoſtes præſentis Anni, illud in primis onus & cura Nobis incumbit, Fratres & Filii in Domino Chariſſimi, ut vos ea de re hiſce literis certiores reddamus, atque tenuitatem noſtram tanto oneri imparem ut orationibus veſtris adjuvare velitis, à vobis omnibus deprecemur. Equidem Nos cum muneris Nobis commiſſi gravitatem cogitamus, *eorum inſtar* (*a*) *qui ad*

(a) *S. Greg. Naz. Orat. Apolog. pro fuga ſua.*

*ad repentinos ſonitus metu percelluntur*, *rationem tenere non poſſumus*, *& magno non affici timore*, *& contremiſcere*: *quia omnium veſtrûm*, (a) *quos regendos ſuſcepimus*, *rationem à Nobis animadvertimus eſſe reddendam*. Nec vero fieri poteſt, ut non magnopere commoveamur, cum onus Nobis impoſitum reputamus, a quo ſuſtinendo Viros olim Sapientia, & Religione præſtantes ipſa rei difficultas deterruiſſet. Quam enim grave eſt, ac laborioſum *attendere ſibi*, *& univerſo Gregi*, (b) hoc eſt *omnium virtutum ad imitandum exemplar fieri*? (c) Quantùm verò eſt Nobis Dei vivi judicium pertimeſcendum, qui pœnam Paſtoribus animarum minatur ſempiternam, ſi vel minimum negligant *conſolidare quod eſt Infirmum*, *aut ſanare quod Ægrotum*, *confractumque eſt*, (d) *aut quod eſt abjectum reducere*? Scilicet *Rector*, Gregorio Magno teſtante, (e) *quot Subditis præeſt*, *tot ſolus Animas habet*: *neque ſolùm pro ſuis arguitur delictis*, (f) *ſed & pro Populi peccatis cogitur*. *Totum namque id*, ut eſt præclare dictum ab Auguſtino (g) *quod facit Populus*, *Rectori tribuitur*. *Quod ſi tantum debet actionem Populi tranſcendere actio Præſulis*, (h) *quantùm diſtat à Grege vita Paſtoris*: quàm egregiâ virtute ſit ornatus oportet qui fieri debeat omnibus omnia: & in quem alii tamquam in exemplar omni ex parte perfectum intuentes, poſſint componere mores ſuos? Hæc Nobiſcum reputantes, & his tamquam fluctibus variis cogitationum huc illuc jactati, vix tandem Nos collegimus, ut ad vos ſcriberemus, Fratres dilectiſſimi, hoc primum ſtudii erga vos noſtri teſtimonium daturi. Sed in his animi anguſtiis nonnulla ſunt, quæ Nos recreant, atque ſuſtentant. Primum: quod tenuitatem noſtram ad munus Præfecti minus aptam perſpicientes, non modò illud non expetivimus, ſed an oblatum ſuſciperemus, ancipites fuimus:

G eo-

(a) *S. Chryſoſt. hom. 24. in Epiſt. ad Hebr.*
(b) *Cap.8. Ver.28. Act. Apoſt.*
(c) *S.Bern. de Conſid. adEug. lib.4.*
(d) *Ezech.34.*
(e) *Lib.24. Mor. Cap. ult.*
(f) *Orig. in cap.15. Numer.*
(g) *Quæſt. 146. in Exod.*
(h) *S.Greg. Mag. in Paſtoral. lib.2.*

eoque tandem conſilio dedimus manus, ne laborem deſugere exiſtimaremur. Cujus Nos conſilii Auctorem habuimus Sapientiſſimum D. Bernardum, (*a*) qui ad Brunonem ſcribens egregium Virum, propter animi angorem, & acerrimos ſcrupulos Colonienſes Infulas detrectantem, nihil, ait, hominis Chriſtiani, tam eſſe proprium, *quam Deo relinquere ſui, quod ignoramus, ſecretum conſilii, ipſumque ſupplici devotione precari, ut in Nobis, & de Nobis operetur quod & ſe deceat, & Nobis expediat*. Quapropter haud temerè confidimus Divinæ Gratiæ præſidium, quod conſoletur, & adjuvet infirmitatem noſtram, minimè Nobis defuturum. Subit præterea noſtrorum temporum eximia conditio, in quibus gerit Pontificem Maximum Sanctiſſimus Dominus Noſter BENEDICTUS XIV. quem Nobis Deus Paſtorum Principem dedit; qui cum ſingulas Oves Orbis Terrarum aſſiduè *paſcit admirabili Scientia, & Doctrina*, (*b*) tum eos maximè, qui Apoſtolicæ in partem ſolicitudinis ſunt vocati, virtutum omnium, quæ Paſtori conveniunt, illuſtrat ſplendore, & exemplis inflammat. Enim verò vires auget inopiæ noſtræ, atque reficit pietas tanti Pontificis erga Ordinem Minorum, *quam veluti hæreditariam a Majoribus ſuis acceptam, cum perſpicuè declaravit in omni vitæ ſuæ conditione, in qua, Deo diſponente, ad commune Chriſtianæ Reipublicæ bonum verſatus eſt, nihil unquam prætermittens, quod ſpirituali utilitati noſtræ conferre poſſe videretur* (*c*): tum maximè inſigni argumento teſtatam voluit in hiſce Comitiis Generalibus, quibus præſidere non eſt dedignatus; atque cum ſummâ Clementiâ tantam Religioſorum noſtrorum multitudinem ad oſculum Sanctiſſimorum pedum admiſit, tum nobis omnibus, ut Jubilœum commodiùs lucraremur, ſingulari benignitate indulſit, & ad commune omnium ſolatium, & ſalutem Animarum, Cœleſtem nobis Indulgentiarum

(a) *Epiſt.* 8.
(b) *Jerem. Cap.* 3. *Verſ.* 15.
(c) *Sanctiſſimus Pont. BENEDICTUS XIV. in allocut. habita in his Comit. Gener.*

rum Theſaurum largitus eſt. Quæ *Pontificiæ in nos omnes benevolentiæ* (*a*), & egregiæ voluntatis argumenta clariùs ex ea cura, & ſolicitudine confirmantur, quæ Pontificem Maximum, ac Sapientiſſimum exercet, in Familiæ noſtræ decore, regulari diſciplina, ac commodis augendis & amplificandis. Etenim Nobis incredibili, maximoque zelo imperavit, ut vos omnes, Fratres, & Filii chariſſimi, in his, quas primùm vobis damus, literis noſtris tria hæc, eaque graviſſima, commonefaceremus. „ Ac primùm, quod caput eſt „ cæterorum, ut curam & ſolicitudinem omnem habeant Su„ periores, ea, quam profeſſi ſunt, Sanctiſſima Regula ut „ a Religioſis omnibus integrè obſervetur, & ſi contingat „ minus obſervantes inveniri, ſevere corrigant illos, præ„ ſertim qui contra Sanctam Paupertatem peccant, dena„ rios vel pecuniam contrectando, aut in aliquo ex viginti„ quatuor præceptis, quibus tenentur, deficiunt; & ne „ Subditi lamentandi occaſionem habeant, ſedulò incum„ bant, ut in omnibus Cœnobiis ſint pannorum, aliarumque „ rerum neceſſariarum Communitates, Deique cultus die „ ac nocte, ut decet, peragatur, in omnium memoriam „ revocando maledictionem, quam S. P. N. contra Inobſer„ vantes pronunciat.

„ Cum vero ab initio uſque Ordinis in uſu fuerit, ut „ Fratres ſuccederent in loca quædam, Oratoria dicta, in „ quibus majori fervore Spiritus Orationi operam darent, „ & quibus noſtra ætate Conventus dicti *Receſsûs* fuerunt „ ſubſtituti, ubi majori diligentia, ſilentio, Orationi, & „ mortificationi indulgent, ſtudeant proinde Superiores, „ ut in amplioribus Provinciis ſint duo, vel plura *Receſ„ ſuum* Cœnobia, aut ſaltem unum in iis, quæ paucioribus „ componuntur Conventibus; nec permittatur, ut in ſimi„ libus *Receſſuum* locis collocetur aliquis de Familia invitus, „ ſed curent, ut Religioſi omnes ibi commorantes, ibidem „ ex propria voluntate maneant; itaut, ſi contingat ali-

 „ quem

(a) *Idem Sanctiſſ. in allocut.*

THE LIBRARY OF
FRANCISCAN FATHERS
AVALON, PA.

„ quem ex ipſis *Receſsuum* rigorem ferre non poſſe, liberum ei ſit diſcedere, neque ſine rationabili cauſa impediatur qui petit in iis Conventibus permanere, quando adſit locus; ut ejuſmodi Cœnobia efficiant tot veluti proborum Religioſorum Seminaria, qui per Provincias diſperſi aliis ſint exemplo. Sed hoc ipſum nullum erit effectum habiturum, niſi Superiores Majores fortiter & efficaciter pro illius executione incumbant.

„ Cum denique in Capitulo Generali Romano habito anno 1688. decretum ſit, ut in omnibus Conventibus Sanctum *Viæ Crucis* exercitium inſtituatur, *quia animabus utile, & præ aliis devotionibus Deo pergratum ſperamus*, ut Patres illi congregati ajebant; ſumma cura proinde ſtudeant Superiores, ut in omnibus Conventibus *Viæ Crucis* exercitium ſæpe habeatur, & ſaltem ſemel in menſe publicè fiat, hortando itidem Concionatores, ut illud Quadrageſimæ, & Adventûs tempore faciendum promoveant in illis Parœciis, in quibus concionantur, curando, ut in ſingulis obſerventur quæ decernuntur in Brevibus Pontificiis, præſertim in illo D. N. BENEDICTI XIV. Pontificis feliciter regnantis, in quibus confirmantur decreta hac ſuper re Sac. Congregationis; & pro certo habeant, quod ſi evenerit, ut in omnibus locis inſtituatur hoc Sanctum Exercitium, magna inde Deo gloria, magnus Animabus fructus, & decor Seraphico Ordini obveniet, ut hactenus experientia demonſtravit, & amplius deinceps apparebit, ſi Superiores in re tanti momenti omnem operam collocaverint.

Quæ Pontificis Sanctiſſimi in iis jubentis voluntas, quo magis Ordini univerſo honorifica eſt, eo vehementiùs movere nos debet, ut eam integre & alacriter exequamur. *Hæc eſt voluntas illius, Sanctificatio noſtra* (*a*) Atque Nos, qui rem nullam vehementius optamus, quam univerſi Ordinis decus, Provinciarum tranquillitatem, ac Religioſorum

(a) 1. *Theſſalon. Cap. 4. verſ. 3.*

rum omnium commoda, & ſalutem, boni Paſtoris exemplo, errantes oves ut revocemus ad ovile, omnes Apoſtatas, & Profugos noſtris hiſce vocibus amoris, & benevolentiæ plenis obſecramur, ut redeant ad Paſtorem ſuum. Paternis namque miſericordiæ viſceribus ſingulos amplecti deſideramus, iiſque omnibus condonamus pœnas omnes ex præſcripto legum infligendas, qui intra hujus anni Sancti 1750. ſpatium ad quodcumque Ordinis noſtri Cœnobium ſponte ſua redierint. Declaramus tamen eos minimè comprehendi, qui ſpe condonationis hujus conſequendæ, eadem crimina patrabunt.

Quare Provincialibus, Guardianis, aliiſque omnibus Superioribus, & Fratribus univerſi Ordinis diſtricte præcipimus, ut ſumma diligentia ſe gerant in Apoſtatarum, & Profugorum licentia coercenda, iiſque, ſi qui fugere tentent, capiendis, atque ad proprias Provincias, juxta præſcriptum Statutorum Ordinis, caute, & nulla mora interpoſita, reducendis. Sciant vero ii, qui noſtrum hoc Mandatum integrè, & omni ex parte ſervare neglexerint, hanc eorum ſocordiam Nos ſevere, ac rigide punituros. Non enim poſſumus ſine lacrimis, acerboque animi dolore advertere, quam luctuoſa in animas filiorum noſtrorum damna, atque in Ordinem univerſum dedecora ex hac una Superiorum negligentia proficiſcantur.

Præcipimus etiam, ut intra ſpatium quindecim dierum ab harum literarum promulgatione, Religioſi omnes, qui in alienis Provinciis commorantur, ad proprias redeant. Quamobrem facultates omnes a Prædeceſſoribus noſtris, & præcipuè a Superioribus ſubalternis conceſſas, vigore preſentium revocamus: eoſque ſolum excipimus, qui facultate Sedis Apoſtolicæ muniti ſunt.

Præcipimus inſuper Provincialibus Familiæ Ultramontanæ, ut tum de executione hujus noſtri mandati, tum etiam quot aliarum Provinciarum Religioſi, quo motivo, quave facultate, in ſuis Provinciis reperiantur, Nos Epiſtolis ſuis cer-

certiores reddant. Miniſtri vero Provinciarum Familiæ Ciſmontanæ de hiſce rebus ſtatim admonebunt modernum Reverendiſſimum P. Commiſſarium Generalem, qui per Epiſtolam Nobis ea omnia diſtricte narrabit.

Atque expreſsè volumus, & efficacius præcipimus, ut Superiores hoc ipſum mandatum noſtrum in eos Religioſos exactius exequantur, qui quacumque de cauſa, & licentia extra Conventus noſtros vitam degunt.

Demum eos omnes, quibus adoleſcentum noſtrorum, qua moribus, qua literis educandorum cura commiſſa eſt, ac potiſſimum Philoſophiæ, & Theologiæ Lectores majori, qua poſſumus auctoritate, hortamur, atque præcipimus, ut toto conatu, modiſque omnibus ſtuſtioſos adoleſcentes doceant, atque ad excolenda ſtudia literarum inflamment. Curent verò Superiores, ad quos ſpectat, ne quidquam ſtudioſis adoleſcentibus, atque Lectoribus deſit, quod ad eorum honeſta, & religioſa commoda ſpectat, ut Franciſcana paupertas rite ab illis ſervetur, ipſique ad literarum ſtudia facilius, utiliuſque incumbant. Neque illud efficiant, ut vacent a Lectionibus, atque ad alias res obeundas ſtudiorum tempore deſtinentur.

Contra verò ſedulò invigilent Superiores Locales ne Studentes quotidie extra Conventum vagentur, ſed pleniſſime hac ſuper re Conſtitutiones Ordinis attendantur: quemadmodum & illud ſerio monemus,quod alias a Noſtris Prædeceſſoribus factum animadvertimus, ut nimirum Studentes ſtatis temporibus coram tota Communitate ſpecimina edant artis, qua pollent, in concionando, cui potiſſimum debet Seraphicus Ordo ſplendorem, & ornamentum, quo olim in Eccleſia Catholica præfulgebat. Super quorum obſervantia attentè curabimus, ut omnes & ſinguli Superiores gravem, ac ſeveram Nobis reddant rationem.

Interea commonere vos, & obſecrare cum Apoſtolo Nos maximè decet, ut *nulla ſint in vobis Schiſmata, ſed ſitis perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia, & ſuppor-*

*portantes invicem in Charitate, ſoliciti ſitis ſervare unionem in vinculo pacis*. Atque illud præſertim cogitate, *cujus, nempe, capitis, & cujus corporis ſitis membrum* (*a*) reſpicite *ad Patrem veſtrum, & ad Petram undè exciſi eſtis*, Franciſcum, nempe, Sanctiſſimum, hominemque Divinum: qui *licet pauperculus, modicus & deſpectus Lateranenſem Baſilicam jam ruinæ proximam, proprio dorſo ſummiſſo, ne caderet, ſuſtentavit* (*b*) Nos etſi multis infirmitatibus Nos ipſos circumdatos ſentiamus, nullaque re cum Sanctiſſimis Familiæ noſtræ Viris comparandos, confidimus tamen ab eo, qui *infirma Mundi eligit, ut fortia quæque confundat*, (*c*) *vulnera, & contritiones noſtras alligatum iri*. Vos autem, Fratres, & Filii dilectiſſimi, id pro certo habetote, Nos concedere nemini pio erga vos ſtudio, & voluntate: *Ego enim libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar pro animabus veſtris* (*d*) modo vos ad veram juſtitiam, æternamque ſalutem perducere poſſim. Ac vos præſertim, Fratres chariſſimi, qui eſtis Provinciarum, & Conventuum Rectores, & Præfecti, oro, obteſtorque, *ut bona provideatis, non ſolum coram Deo, ſed etiam univerſo populo* (*e*) ac Fratribus veſtræ curæ comiſſis, quos debitis potiſſimum ad amorem virtutis, non verbis modò, ſed exemplis ſanctiſſimis incitare: vocati enim eſtis in partem ſolicitudinis noſtræ, voſque operis noſtri adjutores & comites veſtrâ eſtis dignitate conſtituti: cogitate vos *Paſtores eſſe, non percuſſòres; atque oportere vos ſubditis ita præeſſe, ut tamquam filios & Fratres diligatis, ac potiſſimum elaboretis, ut eos hortando & monendo deterreatis ab illicitis, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere teneamini: quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt a vobis ſervanda præceptio, ut illos arguatis, obſecretis, & increpetis in omni bonitate, & ſa-*

(a) *Sanctus Leo Serm.* 1. *de Nativ. Domin.*
(b) *S. Pont. BENEDICTUS XIV. ibid. in allocut.*
(c) *Ad Corint. Cap.* 12. *verſ.* 15.
(d) 2. *ad Corint. Cap.* 12. *verſ.* 15.
(e) *Ad Rom. Cap.* 12. *verſ.* 17.

*ſapientia; cum ſæpè plus erga corrigendos agat benevolentia, quam ſeveritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus Charitas, quam poteſtas* (*a*) Vos vero, qui ſubditi eſtis, *obedite* Præ*poſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes* (*b*).

Denique rogamus vos omnes, & exhortamur, ut ſine intermiſſione oretis pro Fidei Catholicæ exaltatione, pro pace Chriſtianorum Principum, atque eorum ſalute, & incolumitate, quorum beneficiis ſummopere univerſa Familia Minorum adſtricta eſt. In primis autem continuas preces, atque humillimas Deo effundite pro diutina conſervatione, & ſoſpitate Supremi univerſalis Eccleſiæ Paſtoris, Sanctiſſimi D. N. Benedicti XIV. Pontificis Maximi, ac Sapientiſſimi, cui potiſſimum Ordo Minorum univerſus ſe devictum quam maximè agnoſcit, ob ingentia ab eo accepta beneficia, ejuſque ſingularem, vereque paternam erga nos omnes dilectionem. Precor interea D. O. M. ut fauſta vobis, & proſpera velit omnia procedere, nihilque magis deſidero, quam clariora vobis argumenta præbere paterni ſtudii erga vos noſtri, & voluntatis. Nihil itaque reliquum eſt, niſi ut vos omnes Fratres, Filioſque noſtros *per venturum Judicem exorem, per multorum millium Angelorum frequentiam, per Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in Cœlis, me ut adjuvetis orationis veſtræ interceſſione ſub hoc curæ paſtoralis onere labeſcentem, ne ſuſcepta me pondera ultra vires premant* (*c*) vobiſque omnibus Seraphicam impertimur benedictionem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Dat. ex hoc noſtro Conventu S.M. ad Aram Cœli Urbis, hac die 4. Jun. 1750.

Fr. Petrus Joannetius de Molina
Miniſter Generalis.

SUM-

(a) *Conc. Trid. Cap. 1. de Reform.*
(b) *Ap. Paul. ad Hebr. cap. 13. v. 17.*
(c) *S. Greg. Magn. lib. 1. Epiſt. 1.*

# SUMMARIUM

## Num. I.

## Breve, quo Reverendiſſimus Pater Raphael a Lugagnano declaratur Miniſter Generalis totius Ordinis S. P. N. Franciſci.

*Dilecto filio Raphaeli a Lugagnano Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Reformator. nuncupatorum Profeſſori.*

## BENEDICTUS PAPA XIV.

DIlecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Religionis Zelus, vitæ, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque, ſicut dilecti Filii Fratres Diſcretorii, ſeu Definitorii Generalis Ordinis Minorum S. Franciſci tam de Obſervantia, quàm Reformatorum reſpective nuncupatorum utriuſque Ciſmontanæ, & Ultramontanæ Familiæ Nobis nuper exponi fecerunt, Te, qui Frater expreſſe profeſſus dicti Ordinis Reformatorum exiſtis, ob egregia tua merita in Vicarium Generalem ejuſdem Ordinis uſque ad illius proximum futurum Capitulum Generale incluſivè, juxta Statuta Ordinis hujuſmodi per Sedem Apoſtolicam confirmata, canonicè elegerint. Tu vero ratione Vicariatus Generalis hujuſmodi, eadem auctoritate, qua Miniſter Generalis Ordinis præfati pro tempore exiſtens, utitur, pari modo utaris; cupiunt propterea

rea dicti Exponentes, ut titulo, & denominatione Miniſtri Generalis hujuſmodi decoreris, quemadmodum alias in ſimilibus caſibus a Sede prædicta indultum fuit. Hinc eſt, quod Nos eorumdem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere, teque, præmiſſorum meritorum tuorum intuitu, ſpecialis favore gratiæ proſequi volentes, tuique, & illorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium tamen conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorumdem Exponentium nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Tibi, ut etiam titulo, & denominatione Miniſtri Generalis dicti Ordinis, uſque ad proximum futurum Capitulum Generale hujuſmodi, uti, frui, & gaudere, teque Miniſtrum Generalem in quibuſvis literis, decretis, aliiſque Scripturis inſcribere libere, & licite poſsis, & valeas, necnon interea Miniſter Generalis ejuſdem Ordinis in quibuſvis actibus, & functionibus tam publicis, quam privatis haberi, & reputari debeas in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi in Miniſtrum Generalem Ordinis hujuſmodi electus reperireris, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus. Decernentes eaſdem præſentes literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac Tibi in omnibus, & per omnia pleniſsime ſuffragari, ac ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter

ter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenus opus ſit, dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris, die 22. Junii 1744. Pontificatus Noſtri Anno quarto.

*Pro Domino Cardinali Paſſioneo*
*Cajetanus Amatus.*

# Num. II.

*Literæ convocatoriæ ad Capitulum celebrandum Anno* 1746.

Fr. Raphael a Lugagnano Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

*Univerſis in Chriſto Jeſu dilectiſsimis ejuſdem Ordinis Fratribus tam Superioribus, quam Subditis Ciſmontanæ, ac Ultramontanæ Familiæ ſalutem, pacem, & a Domino ſempiternam benedictionem.*

QUUM pro muneris noſtri ratione ſummo deſiderio, ac ſtudio accendamur, ut integre, & inviolabiliter executioni demandentur cum Apoſtolicæ, tum Ordinis Conſtitutiones, in iis præſertim, quæ Regulæ noſtræ obſervantiam etiam quodammodo concernunt; cumque in iiſdem, quolibet ſexennio in Pentecoſtes pervigilio, Generale Capitulum celebrari, atque novum totius Ordinis Generalem Miniſtrum eligi decernatur: idcirco omnibus, & ſingulis Religioſis Fratribus, præcipuè verò legitimis Vocalibus juriſdictioni noſtræ quoquo modo ſubjectis, indicimus, & palam facimus, quod ſub die 28. Maii 1746. Bononiæ in noſtro Annunciationis Conventu, eadem (ſuperis bene annuentibus) abſolventur generalia Comitia.

Proinde harum ſerie ad præfatum tempus, & Locum, prædictos omnes utriuſque Familiæ Vocales, quo ſummum hoc negocium ad felicem exitum deducatur, citamus, & convocamus, ac pro citatis, & convocatis habemus Rem̃os Patres Joannem Bermejo, olim totius Ordinis noſtri Gene-

Generalem Miniſtrum ; Ultramontanæ Familiæ Commiſſarium Generalem ; Ciſmontanæ tum ex-Commiſſarios, tum ex-Vice-Commiſſarios Generales ; Indiarum quoque Generalem Commiſſarium : Reverendos Adm. PP. Ordinis Generalem Procuratorem ; Romanæ Curiæ Generalem Commiſſarium ; Generalem itidem Procuratorem tam Reformatorum, quam Diſcalceatorum, ac Recollectorum ; Definitores Generales ; Noſtros reſpectivè Ordinis Generales Secretarios ; Miniſtros etiam Provinciales, & Cuſtodes omnium, & ſingularum Provinciarum, atque Cuſtodiarum ab iſtis independentium utriuſque Familiæ, tam Primi, quam Tertii Ordinis Pœnitentium, qui noſtræ juriſdictioni ſubſunt ; Terræ Sanctæ Cuſtodem ; Magni Conventus Pariſienſis Guardianum ; illos denique omnes, & ſingulos, quibus in Comitiis Generalibus competit jus Suffragii.

Univerſis ergo, & eorum cuilibet, cum ſalutaris obedientiæ merito, ſub pœnis per noſtras Generales Conſtitutiones inflictis, injungimus, diſtricteque mandamus, quatenus opportuno tempore a Propriis abſcendant, ut ſtatuta die 28. Maii ſupradicti anni 1746. in deſignatum Capitularem Conventum perſonaliter omninò compareant, niſi vera, & legitima cauſa, a Teſtibus fide dignis recognita, atque a Generali Definitorio examinanda, & adprobanda, præpediantur ; hac tamen conditione, quod prædictam Bononiæ Civitatem ante decimam nonam diem ipſius menſis Maii nullus ingredi præſumat, exceptis Remi Definitorii Generalis Patribus, quibus, una cum propriis Sociis, ante prædictum tempus, ad præfixum Capituli Conventum liber indulgetur acceſſus.

Quia verò confuſionem omnem, quæ ex nimia Religioſorum affluentia ſuboriri poſſet, pro viribus e medio tollere anhelamus, Generalium Statutorum ſanctionibus inhærentes, præcipimus ſub pœna privationis ſuffragii, ut cu-

juſcumque Provinciæ Miniſter, ſeu Pro-Miniſter, & Cuſtos inſimul ad Generale Capitulum, unico tantum Religioſo Socio utrumque comitante, iter aggrediantur; addito tamen, ſi opus fuerit, Tertiario, qui Sindici Apoſtolici munere defungatur, ad neceſſarias expenſas in itinere faciendas: quos omnes per Jeſu Chriſti viſcera obteſtamur, ut euntes, & redeuntes, eam verbo, & exemplo morum gravitatem, vitæ Sanctimoniam, & Seraphicæ perfectionis indolem præſeferant, quæ veros Religioſos decet, profundæ humilitatis, altiſſimæ paupertatis, atque Evangelici Inſtituti Sectatores.

Ultra præfatos omnes, niſi ſpeciali, & expreſſe a Nobis obtenta licentia, nullus penitus, ſub quovis colore, prætextu, aut cauſa, ad Comitiorum Generalium Locum, & Civitatem accedere audeat, ſub pœna Apoſtaſiæ: Cui etiam Vocales illos ſubjacere volumus, qui vanæ curioſitatis, aut negotiorum expediendorum cauſa, a via recta notabiliter deflecterent, quæ ad Bononiæ Civitatem tendit, ac ducit. Nihil inſuper eo temporis intervallo, quo Miniſtri, & Cuſtodes abſentes fuerint, in Provinciis innovetur: Quod ſi ſecus contigerit, id omne irritum, & inane, nulliuſque ponderis, ac momenti ipſo facto cenſeatur.

Porrò meminerint Provinciarum Cuſtodes, juxta antiquam, & laudabilem Religionis Conſuetudinem, Ordiniſque Conſtitutiones, ſecum deferre, Conventuum, Fratrum, Monialium viventium, & a poſtremo Generali Capitulo e vivis ſublatorum numerum, eorum inſuper nomina, qui Sanctitatis nota inſignes, extremum diem clauſerunt; atque illorum, qui inter Infideles, vel ad Servitium Terræ Sanctæ actu commorantur; Authentica item documenta rerum notabilium, quæ a proxime elapſo Capitulo Generali in propriis reſpectivè acciderunt Provinciis; Operum, quæ vel nuper edita fuere, vel typis evulganda parantur. Rurſus ſcripturas publicas, & quærelas, ſi quæ aderunt, con-

tra

tra Superiores, vel Officiales Curiæ Generales; aut teſtimoniales literas, quibus tales ſcripturas, ſeu quærelas non adeſſe legitimè demonſtretur, ad formam Statut. Gen. in Compil. Sambuc. cap.8. §.28. num.18., & 19. Ac demum ſub pœna privationis Officii, omnibus Commiſſariis Terræ Sanctæ injungimus, ut, ad eorumdem Statutorum præſcriptum, eleemoſynarum ad Loca Sancta pertinentium computus, illarumque fidelis admiſtrationis legitimas probationes, & documenta, per eoſdem Cuſtodes tranſmittant.

His itaque encyclicis noſtris literis acceptis, & ſolemniter, prout moris eſt, in omnibus, & ſingulis Provinciarum Conventibus quantocyus promulgandis promulgatis, preces publicè, & privatim fiant, ſignanter verò a Paſchate Dominicæ Reſurrectionis ejuſdem anni, uſque ad Electionis diem, qualibet quinta feria, ſolemni feſto non impedita, in ſingulis Conventibus Miſſa de Spiritu Sancto decantetur, vel ſaltem legatur, ac de eodem in privatis Miſſis a cunctis Sacerdotibus Collecta recitetur. In Choro autem, expletis Matutinis, & Veſpertinis horis, quotidie dicatur Hymnus = *Veni Creator Spiritus &c.* = cum Verſiculis, & Orationibus de Spiritu Sancto, de Immaculata Virginis Conceptione, & de B. P. N. Franciſco. Præterea ab Aſcenſione Domini, diebus feſtivis ſolemnes per Eccleſias inſtituantur Proceſſiones, & Litaniæ. Ac in ipſa Pentecoſtes Vigilia, omnes Peccatorum ſuorum confeſſionem emittant, quos Religioſi Confeſſarii a caſibus omnibus, & cenſuris Nobis reſervatis plenaria Noſtra auctoritate poterunt abſolvere. Sacerdotes celebrent; Reliqui omnes Euchariſtica Menſa valde mane reficiantur; quo etiam tempore Sacrum de Spiritu Sancto ſolemniter celebretur, & Proceſſio, uti ſupra, fiat, ut omnes a Regalibus Sedibus ſubſidium humillime depoſcentes, Luminum Patrem fervidè, ac ſuppliciter exorent, qui mentes omnium colluſtret, voluntatem

tem inflammet, corda excitet, atque accendat, quatenus arduum opus, pro cujus felici exitu omnium noſtrum deſideria tendunt, ac vota, vergat in Domini noſtri gloriam, Religionis incrementum, totiuſque Eccleſiæ Sanctæ utilitatem. Valete Fratres chariſſimi, Noſtri etiam in veſtris orationibus memores. Datum Romæ ex noſtro Aracœlitano Conventu die 17. Octobris 1744.

*Addictiſſimus in Domino Servus*
Frater Raphael a Lugagnano
Miniſter Generalis Ordinis.

# Num. III.

*Prorogatis Comitiis confirmantur Miniſter Generalis Commiſſarius Generalis Familiæ, Officiales Curiæ, & Deffinitores Generales, ac duorum ex his Defunctorum loco ſubrogantur A. RR. PP. Joannes Carbonel, & Simon Joſephus Tibeſart.*

# FR. RAPHAEL A LUGAGNANO

Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Congreſſu Matritenſi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

*Univerſis in Chriſto Jeſu dilectiſſimis ejuſdem Ordinis Fratribus tam Superioribus, quam Subditis Ciſmontanæ, ac Ultramontanæ Familiæ Salutem, Pacem, & a Domino Sempiternam Benedictionem.*

SPecialibus non ceſſans Ordinem Noſtrum, pro Sua erga eumdem benignitate paterna, gratiis proſequi, ac favoribus Sanctiſſimus Dominus Noſter, ſequentes hiſce diebus expediri mandavit Apoſtolicas Litteras, videlicet:

BE-

# BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad futuram rei memoriam.

*Cum, ſicut accepimus, Capitulum Generale Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quod juxta Ordinis præfati Conſtitutiones, Statutaque Auctoritate Apoſtolica confirmata, in Vigilia proxime futuri feſti Pentecoſtes celebrandum eſſet, ob præſentes motus bellicos celebrari minime valeat; Alias Nos dilecto filio Raphaeli a Lugagnano dicti Ordinis Miniſtro Generali injunximus, & mandavimus, ut prorogationem dicti Capituli Generalis ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturam, omnibus Vocalibus indiceret, prout dictus Raphael Miniſter Generalis id exequi curavit. Nos proſpero, feliciqueOrdinis hujuſmodi ſtatui, quantum cum Domino poſſumus, conſultum eſſe cupientes, motu proprio, ac ex certa, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, prorogationem Capituli Generalis hujuſmodi a præfato Raphaele Miniſtro Generali ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum duraturam, ut præfertur, indictam, ac dictum Raphaelem Miniſtrum Generalem, necnon Dilectos filios Commiſſarium Generalem Familiæ, ac Procuratores, & Diffinitoses Generales tam Fratrum de Obſervantia, quam Reformatorum dicti Ordinis, in eorum reſpective Officiis, cum omnibus, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritatibus, honoribus, gratiis, & indultis, quibus hactenus eorumdem Officiorum ratione uſi, & gaviſi fuerunt, ac uti, & gaudere potuerunt, prorogatione præfata durante, confirmamus. Præterea, cum, ſicut pariter accepimus, duo Diffinitores Generales in Ultramontana Familia, alter ex-Hiſpanica, & reliquus ex-Germano-Belgica*

*gica Nationibus in nupero Capitulo Generali memorati Ordinis canonice electi ab hac luce migraverint, nec ullus ex Fratribus Nationum præfatarum reperiatur, qui, juxta prædicta Statuta, in locum Defunctorum ſubrogari poſſit; motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſimilibus dilectos itidem filios Joannem Carbonel Valentiæ in Hiſpania, & Simonem Joſephum Tibeſart Flandriæ, reſpective Provinciarum, in Diſfinitores Generales in locum Defunctorum cum omnibus itidem, & ſingulis prærogativis, præeminentiis, facultatibus, auctoritatibus, privilegiis, gratiis, & indultis, ac honoribus, & oneribus ſolitis, & conſuetis, ad Noſtrum, & præfatæ Sedis Apoſtolicæ beneplacitum, ut præfertur, creamus, facimus, conſtituimus, & deputamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenus opus ſit, Ordinis hujuſmodi, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſsis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, quod præſentium Litterarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſsis, manu dicti Raphaelis Miniſtri Generalis, ſeu Procuratoris Generalis Ordinis præfati ſubſcriptis, & memorati Ordinis ſigillo munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die 27. Aprilis 1746. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.*

*D. Cardinalis Paſsioneus.*

Has igitur Vobis omnibus intimare muneris, ac Officii Noſtri eſſe putavimus, ſicuti per præſentes facimus, omnibus Provinciarum, & Cuſtodiarum noſtrarum Prælatis expreſſe mandantes, ut eaſdem, quamprimum acceperint, per omnes, ac ſingulos Juriſdictionis ſuæ Conventus publicari curent. Enixas interim ad Deum preces effundite pro ejuſdem Summi Pontificis felicitate, Eminentiſſimi Ordinis Noſtri Protectoris incolumitate, Chriſtianorum Principum concordia, ac demum pro nobis, qui Seraphicam omnibus benedictionem impartimur. Datum Romæ ex Noſtro Aracœlitano Conventu die 1. Maii 1746.

*Addictiſſimus in Domino Servus.*
Fr. Raphael a Lugagnano
Miniſter Generalis.

*De Mandato Rem̃i in Chriſto Patris.*
*Fr. Bernardinus ab Averſa*
*Secretarius Gen. Ordinis.*

Num.IV.

# Num. IV.

# FR. RAPHAEL

## A LUGAGNANO &c.

*Univerſis in Chriſto Jeſu &c.*

VIx inter Catholicos Principes ſtabilitam, promulgatamque pacem novimus, ac inde ſublata impedimenta, quæ celebrationi obſtabant Capituli Generalis Ordinis Noſtri, alias per Nos indicti, & per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Dominum BENEDICTUM XIV. uſque ad novum ſuum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum (ut vobis annunciavimus) jam ſuſpenſi; quod Nos muneris, Officiique Noſtri debito moti, eidem Sanctiſſimo Domino ſupplicavimus, ut in proximo Jubilœi anno 1750. prædicti Capituli Generalis celebrationem indicere dignaretur: Sanctitas autem Sua ſupplicationibus noſtris benigne annuens, ſequentes literas in forma Brevis Nobis expedire dignatus eſt, videlicet

Foris = *Dilecto Filio Raphaeli a Lugagnano Generali Miniſtro totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci tam de Obſervantia, quam Reformatorum, Excalceatorum, Recollectorum, ſeu quocumque alio nomine nuncupatorum.*

Intus = BENEDICTUS PAPA XIV.

*Dilecte Fili ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

„ POntificia omnium Eccleſiarum ſolicitudo Nobis pla-
„ ne immerentibus injuncta efficere non potuit, ut pe-
„ culiare charitatis ſtudium, quo Seraphicum Ordinem,

„ cui ſumma cum nominis, & pietatis tuæ laude præes, ſem-
„ per proſecuti ſumus, antequam in hac etiam Sacroſancti
„ Apoſtolatus ſpecula collocaremur, ullo pacto minueretur,
„ ſed potius ita adauxit, ut ad incrementum Religioſæ ob-
„ ſervantiæ, honoris, ac dignitatis ejuſmodi incliti Ordinis
„ nihil cupiamus impenſius, quam ut omnem paternæ pro-
„ videntiæ noſtræ, Supremæque auctoritatis operam, ubi-
„ cumque opportuna ſeſe offerat occaſio, læto, libentique
„ animo conferamus. Exponi ſiquidem Nobis nuper feciſti,
„ quod alias Nos, nempe anno 1746. tibi mandavimus, ut
„ prorogationem Capituli Generalis Ordinis Fratrum Mino-
„ rum S. Franciſci, quod juxta illius Conſtitutiones, ſeu
„ Statuta auctoritate Apoſtolica confirmata, celebrandum
„ erat, ob motus bellicos, tunc undique vigentes, minime
„ celebrari poterat, ad Noſtrum, & Sedis Apoſtolicæ be-
„ neplacitum omnibus Vocalibus indiceres, Tuque id exe-
„ qui curaſti: de præſenti vero cum omnia impedimenta
„ tunc exiſtentia ablata remaneant, Capitulum Generale
„ hujuſmodi convocandum, celebrandumque eſſe ſaluberri-
„ mum ducis, ut quæ ad rectum prædicti Ordinis regimen,
„ decus, & utilitatem pertinent, conjunctis omnium, quo-
„ rum intereſt, ſtudiis cognoſci, iiſque facilius, & validius
„ conſuli, adſpirante Divini favoris auxilio, ac provideri
„ poſſint. Nobis propterea humiliter ſupplicari feciſti, ut
„ Tibi in præmiſſis opportune providere, & ut infra, indul-
„ gere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur
„ Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, &
„ a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdi-
„ cti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis
„ a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis,
„ ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum
„ præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſol-
„ ventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi ſuppli-
„ catio-

„ cationibus inclinati, prorogationem, dilationemque hu-
„ juſmodi, ut præmittitur, relaxantes, Tibi tenore præſentium
„ committimus, & mandamus, ut Capitulum Generale
„ hujuſmodi totius Ordinis Fratrum Minorum tam de Ob-
„ ſervantia, quam Reformatorum, & Excalceatorum, Re-
„ collectorum, aliove quocumque nomine nuncupatorum,
„ in eum locum, & civitatem, quam ſecundum præfatas
„ Conſtitutiones, ſeu Statuta magis aptam, & congruen-
„ tem, & minus incommodam Fratribus Vocalibus futuram
„ eſſe noveris, in Vigilia Pentecoſtes anni 1750. Auctoritate
„ noſtra Apoſtolica indicas, & convoces, indictumque, &
„ convocatum denuncies, ut omnes, & ſinguli, qui juxta
„ Conſtitutiones, & morem prædicti Ordinis in Capitulo
„ Generali jus ferendi Votum, ſive Suffragium habent, ei-
„ que intervenire tenentur, in virtute Sanctæ Obedientiæ,
„ atque ſub poenis in præfatis Conſtitutionibus expreſſe con-
„ tentis, ad ipſum Capitulum Generale, legitimo ceſſante
„ impedimento, opportuno tempore accedere curent, &
„ die Sabbathi poſt Feſtum Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu
„ Chriſti dicti anni proxime venturi, quo acta Capitularia
„ inchoabuntur, & non antea, Conventum Capitularem in-
„ gredientur, exceptis Fratribus Definitorii Generalis, qui-
„ bus aliquot ante diebus ingredi liceat. Quoad vero Præ-
„ ſidentem eidem Capitulo Generali Noſtro, & Apoſtoli-
„ cæ Sedis nomine, Noſtro pariter, & ejuſdem Sedis be-
„ neplacito deſignandum, deputandumque opportuno tem-
„ pore reſervamus. Interea præcipimus, & mandamus in
„ virtute Sanctæ Obedientiæ ea omnia a denunciatione
„ Convocationis, & Celebrationis prædicti Capituli Gene-
„ ralis, uſque ad abſolutionem, dimiſſionemque ejuſmodi,
„ ſerventur, quæ de more, & ſecundum prædictas Conſti-
„ tutiones dicti Ordinis hactenus ſervari conſueverunt,
„ omneſque ejuſdem Ordinis Alumni ad Dominum humili-

„ ter re-

„ ter recurrant, ipſum deprecantes, ut quæ agenda ſunt,
„ ad ſui nominis laudem, & honorem, ſeraphicæ Religio-
„ nis incrementum, animarum ſalutem, totiuſque Eccleſiæ
„ militantis utilitatem, præveniendo inſpiret, & adjuvando
„ proſequatur. Ea propter in Vigilia Pentecoſtes memora-
„ ti anni 1750. proxime venturi omnes peccata ſua confi-
„ teantur, Sacerdotes Miſſam celebrent, alii Sanctiſſimum
„ Euchariſtiæ Sacramentum valde mane recipiant, quibus
„ omnibus plenariam Indulgentiam omnium peccatorum
„ ſuorum, & remiſſionem pro ea vice miſericorditer in
„ Domino concedimus, & elargimur. Decernentes eaſ-
„ dem præſentes literas, etiam ex eo, quod quicumque in præ-
„ miſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet præ-
„ tendentes, illis non conſenſerint, neque ad ea vocati, vel
„ auditi fuerint, nullo unquam tempore de ſubreptionis,
„ vel obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis no-
„ ſtræ, vel alio quantumlibet ſubſtantiali defectu notari,
„ redargui, & impugnari, vel adverſus eas aperitionis
„ oris, reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcumque
„ juris, facti, vel gratiæ remedium impetrare, ſeu impe-
„ trato, quempiam in judicio, vel extra illud, uti poſſe. Sic-
„ que, & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices
„ ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apo-
„ ſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam de Late-
„ re Legatos, & dictæ Sedis Nuncios, ſublata eis, & eo-
„ rum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi fa-
„ cultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac
„ irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis
„ auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.
„ Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus
„ Apoſtolicis, ac quibuſvis Ordinis prædicti, etiam juramen-
„ to, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia
„ roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quo-

„ que

„ que, indultis, & Literis Apoſtolicis eidem Ordini, illiuſ-
„ que Superioribus, & Fratribus in contrarium præmiſſo-
„ rum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis.
„ Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſenti-
„ bus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad
„ verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore per-
„ manſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat
„ ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrariis
„ quibuſcumque. Cœterum quia difficile foret præſentes
„ noſtras Literas ad ſingulas dicti Ordinis Provincias deferri,
„ volumus, ut earumdem præſentium literarum tranſum-
„ ptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu tua, ſeu Procu-
„ ratoris Generalis Ordinis præfati ſubſcriptis, & memora-
„ ti Ordinis ſigillo munitis, eadem prorſus fides in judicio,
„ & extra, ubique Locorum, adhibeatur, quæ præſentibus ip-
„ ſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum
„ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſca-
„ toris, die 6. Martii 1749. Pontificatus noſtri anno nono.

*Dominicus Card. Paſſioneus.*

IN vim ergo ſupra relatarum literarum Sanctitatis Suæ, omnibus, & ſingulis Religioſis Fratribus, præcipue vero legitimis Vocalibus juriſdictioni noſtræ quoquo modo ſubjectis, indicimus, & palam facimus, quod ſub die 16. Maii proxime futuri anni Jubilœi 1750. in hoc noſtro Aracœlitano Conventu Almæ Urbis (Superis bene annuentibus) abſolventur generalia Comitia.

Proinde, harum ſerie, ad præfatum tempus, & locum, prædictos omnes utriuſque Familiæ Vocales, quo ſummum hoc negotium ad felicem exitum deducatur, citamus, & convocamus, ac pro citatis, & convocatis habemus Reveren-

verendiſſimos Patres Ultramontanæ Familiæ Commiſſarium Generalem; Ciſmontanæ vero ex-Vice-Commiſſarium Generalem; Indiarum quoque Generalem Commiſſarium: Reverendos admodum Patres Ordinis Generalem Procuratorem; Romanæ Curiæ Generalem Commiſſarium; Generales itidem Procuratores tam Reformatorum, quam Diſcalceatorum, ac Recollectorum; Definitores Generales; Noſtros reſpective Ordinis Generales Secretarios; Miniſtros etiam Provinciales, & Cuſtodes omnium, & ſingularum Provinciarum, atque Cuſtodiarum ab iſtis independentium, utriuſque Familiæ, tam Primi, quam Tertii Ordinis Pœnitentium, qui noſtræ juriſdictioni ſubſunt; Terræ Sanctæ Cuſtodem; Magni Conventus Pariſienſis Guardianum, illos denique omnes, & ſingulos, quibus in Comitiis Generalibus competit jus ſuffragii.

Univerſis ergo, & eorum cuilibet, cum ſalutaris Obedientiæ merito, ſub pœnis per noſtras Generales Conſtitutiones inflictis, injungimus, diſtricteque mandamus, quatenus opportuno tempore a Propriis abſcedant, ut ſtatuta die 16. Maii ſupradicti anni 1750. in deſignatum Capitularem Conventum perſonaliter omnino compareant, niſi vera, & legitima cauſa, a Teſtibus fide dignis recognita, atque a Generali Definitorio examinanda, & approbanda, præpediantur; hac tamen conditione, quod prædictam Romæ Civitatem, ante nonam diem ipſius menſis Maii, nullus ingredi præſumat, exceptis Reverendiſſimi Definitorii Generalis Patribus, quibus una cum propriis Sociis aliquot ante diebus, ad proximum Capituli Conventum liber indulgetur acceſſus.

Quia vero confuſionem omnem, quæ ex nimia Religioſorum affluentia ſuboriri poſſet, pro viribus è medio tollere anhelamus, Generalium Statutorum Sanctionibus inhærentes, præcipimus, ſub pœna privationis ſuffragii, ut cujuſcumque

cumque Provinciæ Miniſter, ſeu Pro-Miniſter, & Cuſtos, inſimul ad Generale Capitulum, unico tantum Religioſo Socio utrumque comitante, iter aggrediantur; addito tamen, ſi opus fuerit, Tertiario, qui Sindici Apoſtolici munere defungatur, ad neceſſarias expenſas in itinere faciendas. Quos omnes per Jeſu Chriſti viſcera obteſtamur, ut euntes, & redeuntes, eam verbo, & exemplo morum gravitatem, vitæ Sanctimoniam, & Seraphicæ perfectionis indolem præſeferant, quæ veros Religioſos decet, profundæ Humilitatis, altiſſimæ Paupertatis, atque Evangelici Inſtituti Sectatores.

Ultra præfatos omnes, niſi ſpeciali, & expreſſe a Nobis obtentâ licentiâ, nullus penitus, ſub quovis colore, prætextu, aut cauſa, ad Comitiorum Generalium Locum, & Civitatem accedere audeat, ſub pœna Apoſtaſiæ: cui etiam Vocales illos ſubjacere volumus, qui vanæ curioſitatis, aut negotiorum expediendorum cauſa a via recta notabiliter deflecterent, quæ ad hanc almam Civitatem tendit, ac ducit. Nihil inſuper eo temporis intervallo, quo Miniſtri, & Cuſtodes abſentes fuerint, in Provinciis innovetur: quod ſi ſecus contigerit, id omne irritum, & inane, nulliuſque ponderis, ac momenti ipſo facto cenſeatur.

Porro meminerint Provinciarum Cuſtodes, juxta antiquam, & laudabilem Religionis conſuetudinem, Ordiniſque Conſtitutiones, ſecum deferre Conventuum, Fratrum, Monialium viventium, & a poſtremo Generali Capitulo e vivis ſublatorum numerum; eorum inſuper nomina, qui Sanctitatis nota inſignes extremum diem clauſerunt; atque illorum, qui inter Infideles, vel ad ſervitium Terræ Sanctæ actu commorantur; Authentica item documenta rerum notabilium, quæ a proxime elapſo Capitulo Generali in propriis reſpective acciderunt Provinciis; operum, quæ vel nuper edita fuere, vel typis evulganda parantur. Rurſus ſcripturas publicas, & quærelas, ſi quæ aderunt, contra Superiores,

 vel

vel Officiales Curiæ Generales; aut teſtimoniales literas, quibus tales ſcripturas, ſeu quærelas non adeſſe legitime demonſtretur, ad formam Statutorum generalium *in Compil. Sambuc. cap.*8. §.28. *num.*18., *&* 19. Ac demum ſub pœna privationis Officii, omnibus Commiſſariis Terræ Sanctæ injungimus, ut, ad eorumdem Statutorum præſcriptum, eleemoſynarum ad Loca Sancta pertinentium Computus, illarumque fidelis adminiſtrationis legitimas probationes, & documenta, per eoſdem Cuſtodes tranſmittant.

His itaque encyclicis noſtris literis acceptis, & ſolemniter, prout moris eſt, in omnibus, & ſingulis Provinciarum Conventibus quantociùs promulgatis, preces publicè, & privatim fiant, ſignanter vero a Paſchate Dominicæ Reſurrectionis ejuſdem anni, uſque ad electionis diem, qualibet quinta feria ſolemni feſto non impedita in ſingulis Conventibus Miſſa de Spiritu Sancto decantetur, vel ſaltem legatur, ac de eodem in privatis Miſſis a cunctis Sacerdotibus Collecta recitetur; In Choro autem, expletis Matutinis, & Veſpertinis horis, quotidie dicatur Hymnus *Veni Creator Spiritus &c.* cum Verſiculis, & Orationibus de Spiritu Sancto, de Immaculata Virginis Conceptione, & de Beato Patre noſtro Franciſco. Præterea ab Aſcenſione Domini, diebus Feſtivis ſolemnes per Eccleſias inſtituantur Proceſſiones, & Litaniæ; ac in ipſa Pentecoſtes Vigilia omnes peccatorum ſuorum confeſſionem emittant, quos Religioſi Confeſſarii a caſibus omnibus, & Cenſuris Nobis reſervatis, plenaria noſtra auctoritate poterunt abſolvere: Sacerdotes celebrent; reliqui omnes Euchariſtica menſa valde mane reficiantur, & quantum humana patitur fragilitas, dignos ſe reddant plenariam ſuorum peccatorum acquirendi remiſſionem, & indulgentiam a Sanctiſſimo Domino Noſtro feliciter Regnante in ſupra relatis Apoſtolicis Literis Nobis omnibus benignè, & paternaliter conceſſam; quo etiam tempore Sacrum de

Spiritu

Spiritu Sancto ſolemniter celebretur, & proceſſio, uti ſupra, fiat, ut omnes a Regalibus Sedibus ſubſidium humillime depoſcentes, Luminum Patrem fervide, ac ſuppliciter exorent, quo mentes omnium colluſtret, voluntatem inflammet, corda excitet, atque accendat, quatenus arduum opus, pro cujus felici exitu omnium noſtrum deſideria, tendunt, ac vota, vergat in Domini noſtri gloriam, Religionis incrementum, totiuſque Eccleſiæ Sanctæ utilitatem. Valete Fratres chariſſimi, Noſtri etiam in veſtris Orationibus memores. Datum Romæ ex noſtro ſupradicto Aracœlitano Conventu die 12. Martii 1749.

*Addictiſſ. in Domino Servus*
**Fr. Raphael de Lugagnano**
**Miniſter Gener. Ord.**

# Num. V.

*Syllabus omnium Vocalium juxta ordinem præcedentiæ, & prout vocati fuerunt ad ferendum Suffragium in his Pontificiis Comitiis, una cum elencho illorum, qui juſtis de Cauſis iiſdem Comitiis adeſſe non potuerunt.*

1. Miniſter Generalis totius Ordinis.
2. Commiſſarius Generalis Ultramontanæ Familiæ.
3. Fr. Joannes Antonius a Sancta Cruce ex-Vice-Commiſſarius Generalis Obſervantium.
4. Commiſſarius Generalis Indiarum.
5. Procurator Generalis Ordinis.
6. Commiſſarius Generalis Curiæ.
7. Procurator Generalis Reformatorum.
8. Procurator Generalis Diſcalceatorum, & Recollectorum.
9. Fr. Bernardinus a Terlitio Definitor Generalis.
10. Fr. Bonagratia ab Alexandria Definitor Generalis.
11. Fr. Vincentius Antonius de Caprarola Definitor Generalis.
12. Fr. Petrus a Juſtaniana Definitor Generalis.
13. Fr. Sigiſmundus Skerpin Definitor Generalis.
14. Fr. Proſper a Brixia Definitor Generalis.
15. Fr. Joſeph Maria a Gallipoli Definitor Generalis.
16. Fr. Michael Angelus a Gallipoli Definitor Generalis ſubrogatus.
17. Fr. Benedictus Maria de Florentia Definitor Generalis ſubrogatus.
18. Fr. Romanus Wrobleuski Definitor ſubſtitutus.

19. Fr. Ludovicus Roger Definitor Generalis.
20. Fr. Emanuel a Jesu Definitor Generalis. *Infirmus*
21. Fr. Joannes Thony Definitor Generalis.
22. Fr. Marcus Antonius Gravois Definitor Generalis.
23. Fr. Joannes Carbonel Definitor Generalis.
24. Fr. Petrus Ignatius de Gainza Definitor Generalis.
25. Fr. Antonius a Bono ſucceſſu Definitor Generalis ſubſtitutus.
26. Fr. Engelbertus Dembleve Definitor Generalis ſubſtitutus.
27. Fr. Marinus *Des Fontaines* Definitor Generalis ſubſtitutus.
28. Fr. Ignatius Gomez Loſada Definitor Generalis ſubſtitutus.
29. Miniſter Provinciæ Romanæ Obſervantium.
30. Secretarius Generalis Ordinis.
31. Secretarius Generalis Reformatorum.
32. Miniſter Provinciæ S. Franciſci Obſervantium.
33. Miniſter Provinciæ Marchiæ Obſervantium.
34. Miniſter Provinciæ Tuſciæ Obſervantium.
35. Miniſter Provinciæ Bononiæ Obſervantium.
36. Miniſter Provinciæ S. Antonii Obſervantium.
37. Miniſter Provinciæ Genuæ Obſervantium.
38. Miniſter Provinciæ Mediolani Obſervantium.
39. Miniſter Provinciæ Principatus Obſervantium.
40. Miniſter Provinciæ ſeptem Marty. Obſervantium.
41. Miniſter Provinciæ Siciliæ Obſervantium.
42. Miniſter Provinciæ S. Nicolai Obſervantium.
43. Miniſter Provinciæ S. Bernardini Obſervantium.
44. Miniſter Provinciæ S. Angeli Obſervantium.
45. Miniſter Provinciæ Dalmatiæ Obſervantium.
46. Miniſter Provinciæ Candiæ Obſervantium.
47. Miniſter Provinciæ Carniolæ Reformatorum.

48. Miniſter Provinciæ Auſtriæ Reformatorum.
49. Miniſter Provinciæ Bohemiæ Reformatorum.
50. Miniſter Provinciæ Min. Poloniæ Obſervantium.
51. Miniſter Provinciæ Corſicæ Obſervantium. *Infir.*
52. Miniſter Provinciæ Raguſiæ Obſervantium.
53. Miniſter Provinciæ Brixiæ Obſervantium.
54. Miniſter Provinciæ Baſilicatæ Obſervantium.
55. Miniſter Provinciæ Ungariæ S. Salvatoris Reformatorum.
56. Miniſter Provinciæ Boſnæ Argentinæ Obſervantium.
57. Miniſter Provinciæ Ungariæ Sanctæ Mariæ Reformatorum.
58. Miniſter Provinciæ Terræ Laboris Obſervantium.
59. Miniſter Provinciæ Tyrolenſis Reformatorum.
60. Miniſter Provinciæ Calabriæ Obſervantium.
61. Miniſter Provinciæ Albaniæ Obſervantium.
62. Miniſter Provinciæ Sancti Didaci Obſervantium.
63. Miniſter Provinciæ Sancti Thomæ Apoſtoli Obſervantium.
64. Miniſter Provinciæ Vallis-Mazariæ Obſervantium.
65. Miniſter Provinciæ Vallis-Nethi Obſervantium.
66. Miniſter Provinciæ Bavariæ Reformatorum.
67. Miniſter Provinciæ Ruſſiæ Obſervantium.
68. Miniſter Provinciæ S. Franciſci Reformatorum.
69. Miniſter Provinciæ Romanæ Reformatorum.
70. Miniſter Provinciæ Marchiæ Reformatorum.
71. Miniſter Provinciæ Tuſciæ Reformatorum.
72. Miniſter Provinciæ Bononiæ Reformatorum.
73. Miniſter Provinciæ S. Antonii Reformatorum.
74. Miniſter Provinciæ Genuæ Reformatorum.
75. Miniſter Provinciæ Mediolani Reformatorum.
76. Miniſter Provinciæ Principatus Reformatorum.

77. Mi-

77. Miniſter Provinciæ Septem Martyrum Reformatorum.
78. Miniſter Provinciæ Siciliæ Reformatorum.
79. Miniſter Provinciæ S. Nicolai Reformatorum.
80. Miniſter Provinciæ S. Bernardini Reformatorum.
81. Miniſter Provinciæ S. Angeli Reformatorum.
82. Miniſter Provinciæ Poloniæ minoris Reformatorum.
83. Miniſter Provinciæ Corſicæ Reformatorum.
84. Miniſter Provinciæ Brixiæ Reformatorum.
85. Miniſter Provinciæ Baſilicatæ Reformatorum.
86. Miniſter Provinciæ Terræ Laboris Reformatorum.
87. Miniſter Provinciæ Calabriæ Reformatorum.
88. Miniſter Provinciæ S. Didaci Reformatorum.
89. Miniſter Provinciæ S. Thomæ Reformatorum.
90. Miniſter Provinciæ Vallis-Mazariæ Reformatorum.
91. Miniſter Provinciæ Vallis-Nethi Reformatorum.
92. Miniſter Provinciæ Poloniæ majoris Reformatorum.
93. Miniſter Provinciæ S. Vigilii Reformatorum.
94. Miniſter Provinciæ S. Ladislai Obſervantium.
95. Miniſter Provinciæ Bulgariæ Obſervantium.
96. Miniſter Provinciæ Lithuaniæ Obſervantium.
97. Miniſter Provinciæ Tranſilvaniæ Reformatorum.
98. Miniſter Provinciæ Sancti Antonii Lycienſis Obſervantium.
99. Miniſter Provinciæ SSmi Redemptoris Obſervantium.
100. Cuſtos Cuſtodiæ Terræ Sanctæ.
101. Cuſtos Cuſtodiæ Sancti Paſchalis Papiæ Reformatorum.
102. Cuſtos Cuſtodiæ SSmæ Virginis Doloratæ Ruſſiæ Reformatorum.

Cuſto-

# Cuſtodes Ciſmontanæ Familiæ.

103. Cuſtos Provinciæ Romanæ Obſervantium.
104. Cuſtos Provinciæ Sancti Franciſci Obſervantium.
105. Cuſtos Provinciæ Marchiæ Obſervantium.
106. Cuſtos Provinciæ Tuſciæ Obſervantium.
107. Cuſtos Provinciæ Bononiæ Obſervantium.
108. Cuſtos Provinciæ S. Antonii Obſervantium.
109. Cuſtos Provinciæ Genuæ Obſervantium.
110. Cuſtos Provinciæ Mediolani Obſervantium.
111. Cuſtos Provinciæ Principatus Obſervantium.
112. Cuſtos Provinciæ Septem Martyrum Obſervantium.
113. Cuſtos Provinciæ Siciliæ Obſervantium.
114. Cuſtos Provinciæ S. Nicolai Obſervantium.
115. Cuſtos Provinciæ S. Bernardini Obſervantium.
116. Cuſtos Provinciæ S. Angeli Obſervantium.
117. Cuſtos Provinciæ Dalmatiæ Obſervantium.
118. Cuſtos Provinciæ Candiæ Obſervantium.
119. Cuſtos Provinciæ Carniolæ Reformatorum.
120. Cuſtos Provinciæ Auſtriæ Reformatorum.
121. Cuſtos Provinciæ Bohemiæ Reformatorum.
122. Cuſtos Provinciæ Poloniæ Minoris Reformatorum.
123. Cuſtos Provinciæ Corſicæ Obſervantium.
124. Cuſtos Provinciæ Raguſiæ Obſervantium.
125. Cuſtos Provinciæ Brixiæ Obſervantium.
126. Cuſtos Provinciæ Baſilicatæ Obſervantium.
127. Cuſtos Provinciæ Ungariæ Sancti Salvatoris Reformatorum.
128. Cuſtos Provinciæ Boſnæ Argentinæ Obſervantium.
129. Cuſtos Provinciæ Ungariæ Sanctæ Mariæ Reformatorum.
130. Cuſtos Provinciæ Terræ Laboris Obſervantium.

131. Cuſtos Provinciæ Tyrolenſis Reformatorum.
132. Cuſtos Provinciæ Calabriæ Obſervantium.
133. Cuſtos Provinciæ S. Didaci Obſervantium.
134. Cuſtos Provinciæ Sancti Thomæ Apoſtoli Obſervantium.
135. Cuſtos Provinciæ Vallis-Mazariæ Obſervantium.
136. Cuſtos Provinciæ Vallis-Nethi Obſervantium.
137. Cuſtos Provinciæ Bavariæ Reformatorum.
138. Cuſtos Provinciæ Poloniæ majoris Obſervantium.
139. Cuſtos Provinciæ Ruſſiæ Obſervantium.
140. Cuſtos Provinciæ S. Franciſci Reformatorum.
141. Cuſtos Provinciæ Romanæ Reformatorum.
142. Cuſtos Provinciæ Marchiæ Reformatorum.
143. Cuſtos Provinciæ Tuſciæ Reformatorum.
144. Cuſtos Provinciæ Bononiæ Reformatorum.
145. Cuſtos Provinciæ S. Antonii Reformatorum.
146. Cuſtos Provinciæ Genuæ Reformatorum.
147. Cuſtos Provinciæ Mediolani Reformatorum.
148. Cuſtos Provinciæ Principatus Reformatorum.
149. Cuſtos Privinciæ Septem Martyrum Reformatorum.
150. Cuſtos Provinciæ Siciliæ Reformatorum.
151. Cuſtos Provinciæ S. Nicolai Reformatorum.
152. Cuſtos Provinciæ S. Bernardini Reformatorum.
153. Cuſtos Provinciæ S. Angeli Reformatorum.
154. Cuſtos Provinciæ Poloniæ minoris Reformatorum.
155. Cuſtos Provinciæ Corſicæ Reformatorum.
156. Cuſtos Provinciæ Brixiæ Reformatorum.
157. Cuſtos Provinciæ Baſilicatæ Reformatorum.
158. Cuſtos Provinciæ Terræ Laboris Reformatorum.
159. Cuſtos Provinciæ Calabriæ Reformatorum.
160. Cuſtos Provinciæ S. Didaci Reformatorum.
161. Cuſtos Provinciæ S. Thomæ Reformatorum.

162. Cuſtos Provinciæ Vallis-Mazariæ Reformatorum.
163. Cuſtos Provinciæ Vallis-Nethi Reformatorum.
164. Cuſtos Provinciæ Poloniæ majoris Reformatorum.
165. Cuſtos Provinciæ S. Vigilii Reformatorum.
166. Cuſtos Provinciæ S. Ladislai Obſervantium.
167. Cuſtos Provinciæ Tranſilvaniæ Reformatorum.
168. Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii Lycienſis Obſervantium.
169. Cuſtos Provinciæ Smi Redemptoris Obſervantium.

## Vocales Ultramontanæ Familiæ.

170. Miniſter Provinciæ Franciæ Pariſienſis Obſervantium.
171. Miniſter Provinciæ Caſtellæ Obſervantium.
172. Miniſter Provinciæ Turoniæ Obſervantium.
173. Miniſter Provinciæ Aragoniæ Obſervantium.
174. Miniſter Provinciæ Argentinæ Recollectorum.
175. Miniſter Provinciæ Aquitaniæ antiq. Obſervantium.
176. Miniſter Provinciæ S. Jacobi Obſervantium.
177. Miniſter Provinciæ Coloniæ Recollectorum.
178. Miniſter Provinciæ Sancti Bonaventuræ Obſervantium.
179. Miniſter Provinciæ Portugalliæ Obſervantium.
180. Miniſter Provinciæ Sancti Ludovici Epiſcopi Obſervantium.
181. Miniſter Provinciæ Hiberniæ Recollectorum.
182. Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis in Hiſpania Obſervantium.
183. Miniſter Provinciæ Britanniæ Recollectorum.
184. Miniſter Provinciæ Angliæ Recollectorum.
185. Miniſter Provinciæ Bæticæ Obſervantium.
186. Miniſter Provinciæ Burgenſis Obſervantium.

187. Mini-

187. Miniſter Provinciæ Angelorum Obſervantium.
188. Miniſter Provinciæ Pietatis Diſcalceatorum.
189. Miniſter Provinciæ S. Gabrielis Diſcalceatorum.
190. Miniſter Provinciæ Carthaginenſis Obſervantium.
191. Miniſter Provinciæ Thuringiæ Recollectorum.
192. Miniſter Provinciæ Germaniæ Inferioris Recollectorum.
193. Miniſter Provinciæ Algarbiorum Obſervantium.
194. Miniſter Provinciæ S. Evangelii de Mexico Obſervantium.
195. Miniſter Provinciæ Majoricarum Obſervantium.
196. Miniſter Provinciæ Aquitaniæ Recentioris Obſervantium.
197. Miniſter Provinciæ S. Michaelis in Extremadura Obſervantium.
198. Miniſter Provinciæ Cantabriæ Obſervantium.
199. Miniſter Provinciæ duodecim Apoſtolorum de Lima Obſervantium.
200. Miniſter Provinciæ Canariæ Obſervantium.
201. Miniſter Provinciæ Sancti Andreæ in Belgio Recollectorum.
202. Miniſter Provinciæ Sardiniæ Sanctæ Mariæ de Gratiis Obſervantium.
203. Miniſter Provinciæ Valentiæ Obſervantium.
204. Miniſter Provinciæ Cathalauniæ Obſervantium.
205. Miniſter Provinciæ Sancti Joſeph de Jucatan Obſervantium.
206. Miniſter Provinciæ Sancti Joſeph Diſcalceatorum in Caſtella.
207. Miniſter Provinciæ Sancti Antonii Diſcalceatorum in Luſitania.
208. Miniſter Provinciæ SS. Petri, & Pauli de Mechoacam Obſervantium.

209. Miniſter Provinciæ Sanctæ Fidei in nova Granata Obſervantium.

210. Miniſter Provinciæ Sancti Franciſci de Quito Obſervantium.

211. Miniſter Provinciæ Sanctiſſimæ Trinitatis de Chile Obſervantium.

212. Miniſter Provinciæ Sancti Antonii Ciarcarum Obſervantium.

213. Miniſter Provinciæ Sancti Joannis Baptiſtæ Diſcalceatorum in Hiſpania.

214. Miniſter Provinciæ Granatenſis Obſervantium.

215. Miniſter Provinciæ Sancti Pauli Diſcalceatorum in Hiſpania.

216. Miniſter Provinciæ Sancti Franciſci de Zacathecas Obſervantium.

217. Miniſter Provinciæ Sancti Didaci de Mexico Diſcalceatorum.

218. Miniſter Provinciæ Sancti Jacobi de Xaliſco Obſervantium.

219. Miniſter Provinciæ Sancti Bernardini in Gallia Recollectorum.

220. Miniſter Provinciæ Sancti Dionyſii Recollectorum in Gallia.

221. Miniſter Provinciæ Sanctæ Helenæ in Florida Obſervantium.

222. Miniſter Provinciæ Aſſumptionis de Paraguai Obſervantium.

223. Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Recollectorum in Gallia.

224. Miniſter Provinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia.

225. Miniſter Provinciæ Sancti Didaci in Bætica Diſcalceatorum.

226. Miniſter Provinciæ Sancti Franciſci Recollectorum in Gallia.
227. Miniſter Provinciæ Sancti Joſeph Recollectorum in Comitatu Flandriæ.
228. Miniſter Provinciæ Sanctiſſimi Sacramenti Recollectorum in Gallia.
229. Miniſter Provinciæ Sancti Joannis Evangeliſtæ de Azores Obſervantium.
230. Miniſter Provinciæ Sancti Saturnini in Sardinia Obſervantium.
231. Miniſter Provinciæ Sancti Antonii in Braſilia Diſcalceatorum.
232. Miniſter Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Diſcalceatorum in Hiſpania.
233. Miniſter Provinciæ Sancti Antonii in Artheſia Recollectorum.
234. Miniſter Provinciæ Solitudinis Diſcalceatorum in Luſitania.
235. Miniſter Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Neapolis Diſcalceatorum.
236. Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Diſcalceatorum in Braſilia.
237. Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis de la Beira Diſcalceatorum in Luſitania.
238. Miniſter Provinciæ S. Nicolai Recollectorum in Lotharingia.
239. Miniſter Provinciæ Sancti Paſchalis Lycienſis Diſcalceatorum.
240. Miniſter Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Diſcalceatorum in Hiſpania.
241. Miniſter Provinciæ Luſitaniæ Tertii Ordinis.
242. Miniſter Provinciæ Sancti Michaelis Bæticæ Tertii Ordinis.

243. Mi-

243. Cuſtos Cuſtodiæ Sancti Jacobi de Madera Obſervantium.
244. Cuſtos Cuſtodiæ Sancti Michaelis de Azores Obſervantium.
245. Cuſtos Cuſtodiæ Sabaudiæ Obſervantium.
246. Cuſtos Cuſtodiæ Sancti Paſchalis Diſcalceatorum in Hiſpania.

## Cuſtodes.

247. Cuſtos Provinciæ Pariſienſis Obſervantium.
248. Cuſtos Provinciæ Caſtellæ Obſervantium.
249. Cuſtos Provinciæ Saxoniæ Sanctæ Crucis Recollectorum.
250. Cuſtos Provinciæ Turoniæ Pictavienſis Obſervantium.
251. Cuſtos Provinciæ Aragoniæ Obſervantium.
252. Cuſtos Provinciæ Argentinæ Recollectorum.
253. Cuſtos Provinciæ Aquitaniæ Antiquioris Obſervantium.
254. Cuſtos Provinciæ Sancti Jacobi Obſervantium.
255. Cuſtos Provinciæ Coloniæ Recollectorum.
256. Cuſtos Provinciæ Sancti Bonaventuræ Obſervantium.
257. Cuſtos Provinciæ Portugalliæ Obſervantium.
258. Cuſtos Provinciæ Sancti Ludovici Epiſcopi Obſervantium.
259. Cuſtos Provinciæ Hiberniæ Recollectorum.
260. Cuſtos Provinciæ Immaculatæ Conceptionis in Hiſpania Obſervantium.
261. Cuſtos Provinciæ Britanniæ Recollectorum.
262. Cuſtos Provinciæ Angliæ Recollectorum.
263. Cuſtos Provinciæ Bæticæ Obſervantium.

264. Cuſtos Provinciæ Burgenſis Obſervantium.
265. Cuſtos Provinciæ Angelorum Obſervantium.
266. Cuſtos Provinciæ Pietatis Diſcalceatorum.
267. Cuſtos Provinciæ Sancti Gabrielis Diſcalceatorum.
268. Cuſtos Provinciæ Carthaginenſis Obſervantium.
269. Cuſtos Provinciæ Flandriæ Recollectorum.
270. Cuſtos Provinciæ Thuringiæ Recollectorum.
271. Cuſtos Provinciæ Germaniæ inferioris Recollectorum.
272. Cuſtos Provinciæ Algarbiorum Obſervantium.
273. Cuſtos Provinciæ Sancti Evangelii de Mexico Obſervantium.
274. Cuſtos Provinciæ Majoricarum Obſervantium.
275. Cuſtos Provinciæ Sancti Michaelis in Extremadura Obſervantium.
276. Cuſtos Provinciæ Cantabriæ Obſervantium.
277. Cuſtos Provinciæ duodecim Apoſtolorum de Lima Obſervantium.
278. Cuſtos Provinciæ Canariæ Obſervantium.
279. Cuſtos Provinciæ Sancti Andreæ in Belgio Recollectorum.
280. Cuſtos Provinciæ Sardiniæ Sanctæ Mariæ de Gratiis Obſervantium.
281. Cuſtos Provinciæ Valentiæ Obſervantium.
282. Cuſtos Provinciæ Cathalauniæ Obſervantium.
283. Cuſtos Provinciæ Sancti Joſeph de Jucatan Obſervantium.
284. Cuſtos Provinciæ Arabidorum Diſcalceatorum.
285. Cuſtos Provinciæ Sancti Joſeph Diſcalceatorum in Caſtella.
286. Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii Diſcalceatorum in Luſitania.

287. Cuſtos Provinciæ Sanctorum Petri, & Pauli de Mechoacam Obſervantium.
288. Cuſtos Provinciæ Sanctæ Fidei in nova Granata Obſervantium.
289. Cuſtos Provinciæ Sancti Franciſci de Quito Obſervantium.
290. Cuſtos Provinciæ SanctiſſimæTrinitatis de Chile Obſervantium.
291. Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii Ciarcarum Obſervantium.
292. Cuſtos Provinciæ Sancti Joannis Baptiſtæ Diſcalceatorum in Hiſpania.
293. Cuſtos Provinciæ Caracarum in Hiſpaniola Obſervantium.
294. Cuſtos Provinciæ Granatenſis Obſervantium.
295. Cuſtos Provinciæ Sancti Pauli Diſcalceatorum in Hiſpania.
296. Cuſtos Provinciæ S. Franciſci de Zacathecas Obſervantium.
297. Cuſtos Provinciæ Sancti Didaci de Mexico Diſcalceatorum.
298. Cuſtos Provinciæ Sancti Jacobi de Xaliſco Obſervantium.
299. Cuſtos Provinciæ Sancti Bernardini in Gallia Recollectorum.
300. Cuſtos Provinciæ Sancti Dionyſii Recollectorum in Gallia.
301. Cuſtos Provinciæ Sanctæ Mariæ Magdalenæ Recollectorum in Gallia.
302. Cuſtos Provinciæ Sancti Didaci in Bætica Diſcalceatorum.
303. Cuſtos Provinciæ Sancti Franciſci Recollectorum in Gallia.

304. Cu-

304. Cuſtos Provinciæ Sancti Joſeph Recollectorum in Comitatu Flandriæ.

305. Cuſtos Provinciæ Sanctiſſimi Sacramenti Recollectorum in Gallia.

306. Cuſtos Provinciæ Sancti Joannis Evangeliſtæ de Azores Obſervantium.

307. Cuſtos Provinciæ Sancti Saturnini in Sardinia Obſervantium.

308. Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii in Braſilia Diſcalceatorum.

309. Cuſtos Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Diſcalceatorum in Hiſpania.

310. Cuſtos Provinciæ Sancti Antonii in Artheſia Recollectorum.

311. Cuſtos Provinciæ Solitudinis Diſcalceatorum in Luſitania.

312. Cuſtos Provinciæ Sancti Petri de Alcantara Neapolis Diſcalceatorum.

313. Cuſtos Provinciæ Jmmaculatæ Conceptionis *De la Beyra* Diſcalceatorum in Luſitania.

314. Cuſtos Provinciæ Sancti Nicolai Recollectorum in Lotharingia.

315. Cuſtos Provinciæ Sancti Paſchalis Lycienſis Diſcalceatorum.

316. Cuſtos Provinciæ Immaculatæ Conceptionis Diſcalceatorum in Hiſpania.

317. Cuſtos Provinciæ Luſitaniæ Tertii Ordinis.

318. Cuſtos Provinciæ Sancti Michaelis Bæticæ Tertii Ordinis.

319. Cuſtos Provinciæ Legionenſis in Hiſpania Tertii Ordinis.

*Qui verò juſtis de cauſis a Deffinitorio Generali viſis, & adprobatis non interfuere Comitiis, ſunt ſequentes.*

1. PAter Joannes Capiſtranus Jovenski Diffinitor Generalis ſubrogatus Poloniæ Minoris Obſervantium.
2. Pater Macè Diffinitor Generalis Obſervantium Provinciæ Franciæ.
3. Pater Alvarus a Purificatione Diffinitor Generalis Diſcalceatorum in Luſitania.
4. Pater Joſeph Simon Tibeſart Diffinitor Germano-Belgicus Recollectorum.
5. Pater Joannes à Valle Diffinitor Generalis Tertii Ordinis Provinciæ Granatenſis in Hiſpania.
6. Secretarius Generalis Ordinis Hiſpanus Obſervantium.
7. Miniſter Provinciæ Turoniæ Obſervantium.
8. Miniſter Provinciæ de Guatemala Obſervantium.
9. Cuſtos ejuſdem.
10. Miniſter Provinciæ de Nicaraguas Obſervantium.
11. Cuſtos ejuſdem.
12. Cuſtos Provinciæ Franciæ Obſervantium.
13. Cuſtos Turoniæ Obſervantium Pictavienſis.
14. Cuſtos Provinciæ Aquitaniæ Recentioris Obſervantium.
15. Guardianus Magni Conventus Pariſienſis Obſervantium.
16. Miniſter Provinciæ Saxoniæ Sanctæ Crucis Recollectorum.
17. Miniſter Provinciæ Sancti Gregorii Philippinarum Diſcalceatorum.

18. Cu-

18. Cuſtos ejuſdem.
19. Cuſtos Provinciæ Sanctiſſimæ Conceptionis in Gallia Recollectorum.
20. Miniſter Provinciæ Matris Dei in India Orientali Diſcalceatorum.
21. Cuſtos ejuſdem.
22. Cuſtos Provinciæ Sanctiſſimæ Conceptionis in Braſilia Diſcalceatorum.
23. Miniſter Provinciæ Caracarum Obſervantium.
24. Miniſter Provinciæ Sancti Thomæ in Indiis Orientalibus Obſervantium.
25. Cuſtos ejuſdem.
26. Cuſtos Provinciæ Sanctæ Helenæ de Florida Obſervantium.
27. Cuſtos Provinciæ de Paraguai Obſervantium.
28. Cuſtos Provinciæ Bulgariæ Obſervantium.
29. Cuſtos Provinciæ Lithuaniæ Obſervantium.

# Num. VI.

Breve, quo ſtabilitur trina alernativa pro Procuratoratu Generali Diſcalceatorum, & Recollectorum.

## BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

NUper pro parte dilectorum Filiorum Superiorum, & Fratrum Provinciarum in Regnis, ditionibuſque Cariſſimo in Chriſto Filio Noſtro Joanni Portugalliæ, & & Algarbiorum Regi Fideliſſimo ſubjectis exiſtentium, Ordinis Minorum Sancti Franciſci Excalceatorum nuncupatorum, Nobis expoſitum fuit, quod a Definitorio Generali Ultramontano, ratione Comitiorum Generalium Ordinis ejuſdem Sancti Franciſci in Alma Urbe Noſtra tranſactis diebus habitorum, in unum congregato, emanavit Decretum tenoris ſequentis videlicet.

„ Extractum ex actibus Capituli Generalis Ordinis Sa-
„ ncti Franciſci. Seſsio x. die xxi. Maii 1750. Inſtantibus
„ Provinciis Excalceatis Dominio Regis Sereniſſimi Luſita-
„ niæ ſubjectis, pro conceſſione unius Definitoris Genera-
„ lis, & pro alternativa in officio Procuratoris Generalis
„ Diſcalceatorum, & Recollectorum, Definitorium Gene-
„ rale Ultramontanum, ad primum reſpondit: *Nihil inno-*
„ *vandum eſſe*: ad ſecundum verò, auditis, & conſentien-
„ tibus Partibus intereſſe habentibus, decrevit, quod im-
„ poſterum trina debeat eſſe alternativa dicti Officii inter
„ Nationes Franciæ, Hiſpaniæ, & Luſitaniæ; cum hoc ta-
„ men, quod una Natio habeat Procuratorem Generalem,
„ alia Secretarium Generalem Curiæ, alia vero Agentem
„ a præfato Procuratore Generali in omnibus, & per om-

„ nia dependentem, qui completo laudabiliter dicto Officio, „ prærogativis ex-Secretariis Generalibus Curiæ conceſsis „ gaudere debebit, & in proximo futuro Capitulo Generali eligi debeat Procurator Generalis ex Natione Luſitana, „ Secretarius Curiæ ex Francia, & Agens ex Hiſpania; & ſic „ poſtea ſucceſſivè. Ita reperitur in Actibus dicti Capituli. In „ quorum fidem &c. ex Ara-cœli die 22. Maii 1750. = F. Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis = Locus ✠ „ Sigilli. De Mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris „ Frater Antonius Aguirre Definitor Generalis, & Secretarius Definitorii Generalis.

Cum autem, ſicut dicti Exponentes Nobis nuper exponi fecerunt, ipſi Decretum hujuſmodi, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummoperè deſiderent; Nos ipſos Exponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & ſanamus. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in

præ-

præmiſſis per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alias roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo, ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die xxx. Junii 1750. Pontificatus noſtri anno x.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

Loco ✠ Sigilli.

*Pro Cappella S. Antonii*
*F. Carconius Collector.*

Num. VII.

# Num. VII.

# BENEDICTUS PAPA XIV.

*Ad futuram rei memoriam.*

EXponi Nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia nuncupatorum, quod alias fel. rec. Clementi Papæ XII. Prædeceſſori Noſtro, pro parte tunc exiſtentis Miniſtri Generalis Ordinis præfati, expoſito, quod inter alias Ordinationes communi totius Ordinis præfati conſenſu editas in Capitulo Generali tunc temporis Mediolani habito, decretum, ſancitumque fuerat, ſupplicandum eſſe Sedi Apoſtolicæ pro reductione in antiquum Statum deputationis Officialium Curiæ dicti Ordinis, in locum eorum, qui durante tempore ejuſmodi Officiorum, illis ceſſiſſent, vel ab humanis deceſſiſſent, idem Miniſter Generalis eidem Clementi Prædeceſſori ſupplicaverat, ut in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaretur; idem Clemens Prædeceſſor hujuſmodi ſupplicationibus inclinatus, audito prius ſuper præmiſſis voto Congregationis Generalis memorati Ordinis, per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die x. Aprilis 1733. expeditas literas, præcepit, & mandavit, ut deinceps infraſcriptus modus in deputatione dictorum Officialium Curiæ cedentium, vel decedentium, poſt tunc proxime futurum Capitulum Generale dicti Ordinis, ſervaretur, nempè, quod ſecuta electione Officialium Curiæ præfatæ pro tempore exiſten. Miniſter Generalis ſæpedicti Ordinis Fratribus Definitorii Generalis ſex ſaltem Religioſos debitis qualitatibus præditos illius Nationis, ex qua fuerit Officialis electus, proponere deberet, & ex eis tres

eis tres ab ipſo Definitorio ſeligerentur, e quibus, in eventum vacationis ejus Officii, idem Miniſter Generalis unum ad ſui libitum deputare teneretur; & ſi contigiſſet alterum ex tribus Religioſis ſic a Definitorio ſelectis decedere, aut inhabilem fore, facultas Miniſtri Generalis deputandi dictum Officialem ad duos reliquos; quatenus vero duo mortui, aut inhabiles fuiſſent, ad unicum ſuperſtitem limitata eſſet, ac eſſe intelligeretur; ſin autem omnes tres obiiſſent, aut inhabiles reperirentur, tunc deputaretur Religioſus dignior illius Nationis, de qua erat Officialis electus in Capitulo Generali, demandato in caſu abſentiæ Religioſi ita deputati exercitio Officii Secretario Officialis cedentis, vel decedentis, quodque delectus trium Religioſorum præſcriptorum pro Fratribus de Obſervantia, Reformatis, Excalceatis, & Recollectis Franciæ nuncupatis dicti Ordinis, ab eorum reſpective Definitorio Generali perficeretur, & alias, prout in eiſdem Clementis Prædeceſſoris præfati literis, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, dictus Petrus Joannetius Miniſter Generalis, conſiderans dicta Officia non ad Nationes reſtringi, ſed indifferenter ad integram reſpectivè Familiam pertinere, Nobis ſupplicari fecit, ut inpoſterum tres illi, ut præfertur, ſeligendi Religioſi, aſſumi poſſint, & valeant, non quidem ex ſola Natione, ex qua aſſumptus fuit quilibet Officialis Curiæ, ſed ex omnibus indifferenter Provinciis, ex quibus ipſemet Officialis Curiæ in ipſo Capitulo Generali aſſumi poterat. Nos ſupplici libello Nobis porrecto die xxi. Maii anni 1750. proximè elapſi, manu noſtra inſcripſimus, pro gratia juxta petita, idque in perpetuum ſervetur; idem vero reſcriptum in nupero Capitulo Generali Ordinis præfati in Alma Urbe Noſtra Nobis præſidentibus debitæ executioni demandatum fuit; ut autem id futuris temporibus ſervetur exactius, ipſe Petrus Joannetius Mini-

Miniſter Generalis literas in forma Brevis ſibi a Nobis concedi plurimum deſideret. Nos dictum Petrum Joannetium Miniſtrum Generalem ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, & a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ejus nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Clementis Prædeceſſoris præfati literas ſuper præmiſſis expeditas, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium caſſamus, & annullamus, ac irritas, nullas, caſſas, & nullius eſſe roboris, ac momenti decernimus; ac inſuper volumus, & declaramus, ut perpetuis futuris temporibus tres illi, ut ſupra, ſeligendi Religioſi aſſumantur, & aſſumi debeant, non quidem ex ſola natione, ex qua aſſumptus fuerit quilibet Officialis Curiæ, ſed ex omnibus iis Provinciis, ex quibus ipſemet Officialis Curiæ in ipſo Capitulo Generali aſſumptus fuerit, & aſſumi potuerit. Decernentes ipſas præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac obtinere, & illis, ad quos ſpectat, ac pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in

 contra-

contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, die v. Februarii 1751. Pontificatus Noſtri Anno xi.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

# Num. VIII.

# BENEDICTUS PAPA XIV.

## *Ad futuram rei memoriam.*

EXponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filii Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis, necnon Definitores Generales utriuſque Familiæ Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia, & Reformatorum nuncupatorum, quod ipſi, abſoluto Capitulo Generali ejuſdem Ordinis, ediderunt Decretum tenoris ſequentis, videlicet = Cum Sanctiſſimus Dominus Noſter Benedictus Divina Providentia Papa XIV. egregiam in puſillum noſtrum Gregem voluntatem a Majoribus ſuis jure quodam hæreditario acceptam, non modo dum in minoribus eſſet, pluribus beneficentiæ, atque amoris argumentis teſtatam dederit, ſed cumulatiſſimè etiam comprobaverit ad ſupremum Chriſtiani Orbis clavum regendum evectus, præſertim cum univerſæ Familiæ noſtræ Comitiis, plurium Prædeceſſorum ſuorum exempla, & præcipuè Nicolai V. imitatus, hoc anno Jubilœi XVII. Kal. Junii in Æde Sanctæ Mariæ de Aracœli habitis, dignatus ſit intereſſe, ac præſidere: ne tam illuſtris facti memoria ulla unquam temporis injuria, aut diuturnitate intercidat, Capitulum Generale gratum, ut par eſt, animum, & ut Franciſcanam licet paupertatem, declarare cupiens; Proponente Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali, cunctiſque Definitorii Patribus plaudentibus, ſtatuit, ac decernit, ut fauſtus ille dies, qui tanta, ac tam inſigni Clementiſſimi Principis dignatione eſt honeſtatus, inter feſtivos, & toti Ordini Sacros perpetuis futuris temporibus habeatur, ſinguliſque annis, eodem ipſo recurrente die, in omnibus utriuſque

Familiæ Cœnobiis pro longæva proſperitate *Sanctitatis Suæ*, atque Inclitæ, nobiliſſimæque ſuæ Domus incolumitate, ac ſoſpitate Sacrum ſolemne peragatur, atque ab omnibus univerſi Ordinis utriuſque Sexus Fratribus, & Sororibus, eadem pro re, crebræ ad Deum, & enixæ preces fundantur. Ne autem hoc grati animi teſtimonium una cum vita *Sanctitatis Suæ*, quam Deus Optimus Maximus ad Chriſtianæ Reipublicæ *felicitatem*, & Noſtri Ordinis incrementum, diu, multumque ſervare dignetur, finem aſpiciat, idem Capitulum Generale, proponente eodem Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali, & probantibus iiſdem Definitorii Patribus, jubet, ac mandat, ut cum *Sanctitas Sua* viam univerſæ carnis ingreſſa mortales haſce exuvias reliquerit, pro ejus Animæ requie omnes, & ſinguli univerſi Ordinis Sacerdotes tres miſſas celebrent, & in ſingulis Conventibus Solemnis Miſſa cum integro Defunctorum Officio decantetur; Clerici vero, Laici, & Moniales, ac reſpectivè ſinguli, & ſingulæ tres, ut ajunt, Coronas Beatæ Mariæ Virginis, & duas Stationes recitent; atque inſuper, ut monumento nunquam interituro tanti Pontificis memoria conſignetur, in omnibus univerſi Ordinis Conventibus perpetuo pro Anima ejus fiat Anniverſarium. Id autem in omnes tabulas Ordinis inſcribi, ac inferri, & per univerſum Franciſcanum Orbem promulgari idem Capitulum Generale ſanxit, ac decrevit. In Comitiis Generalibus Aracœlitanis hac die XXIV. Menſis Maii Anno Jubilœi 1750. = F. Petrus Joannetius de Molina Miniſter Generalis = De mandato Reverendiſſimi in Chriſto Patris F. Antonius Aguirre Definitor Generalis, & Secretarius Definitorii Generalis = Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, Exponentes præfati præinſertum Decretum, quo firmius ſubſiſtat, & ſervetur exactius, Apoſtolicæ confirmationis Noſtræ patrocinio communiri ſummopere deſiderent: Nos ipſos Exponen-

ponentes ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes, ac eorum ſingulares perſonas a quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, a jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; ſupplicationibus eorum nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum præinſertum cum omnibus, & ſingulis in eo contentis, & expreſſis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, omneſque, & ſingulos juris, & facti defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus, & ſanamus. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari; Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die XXIX. Maii 1750. Pontificatus Noſtri anno X.

*D. Cardinalis Paſſioneus.*

Ne

Ne Vocales Ultramontani iis fruſtrarentur gratiis, & prærogativis, quibus illi decorati fuerunt, qui in Comitiis Innocentianis anni 1723. ſunt ſuffragati, Reverendiſsimus Pater Miniſter Generalis ſupplicem Libellum Sanctiſsimo exhibuit tenoris ſequentis.

## BEATISSIME PATER.

*FR. Petrus Joannètius de Molina Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, conſiderans, quod Generale Capitulum de anno 1723. celebratum, præſidente ſan. mem. Innocentio XIII. in reverentiam illius Summi Pontificis decrevit, quod omnes, & ſinguli Vocales, qui in illo ſuffragium tulere, gauderent prærogativis per Statuta Ordinis præſcriptis pro Vocalibus Capituli Generalis, etiamſi aliquibus eorum deficerent requiſita expreſſa in eiſdem Statutis: Et cupiens ne aliqua prætermittatur ſignificatio gratitudinis erga Sanctitatem Veſtram ex iis, quæ tunc dictum Capitulum demonſtravit erga præfatum Innocentium XIII.*

*Propterea ſupplicat humillimè S.V. quatenus, non obſtante Brevi ejuſdem S.V. incipien.* Apoſtolica a Paſtorum Principe, *in cujus debitam obedientiam recens Generale Capitulum non potuit quidquam hac ſuper re decernere, dignetur concedere, quod omnes, & ſinguli Vocales, qui huic Generali Capitulo coram S. V. celebrato intervenerunt, & votum dederunt, ſivè ſint de Obſervantia, ſive Reformati, Diſcalceati, aut Recollecti, ſive Tertii Ordinis, tametſi alicui, ſivè aliquibus eorum deficiant aliqua requiſita ex præſcriptis in Statutis, gaudeant prærogativis taxatis in iiſdem Statutis pro Vocalibus, qui votum dederunt in Capitulo Generali.*

Quamobrem emanavit ſequens Reſcriptum = *Ex Audientia Sanctiſſimi die 2. Junii 1750. = Sanctiſſimus benignè*

*nignè annuit pro Gratia Arbitrio ejuſdem Miniſtri Generalis Oratoris cum facultatibus neceſſariis, & opportunis.*
Loco ✠ Sigilli. *Joſeph Livizani Secretarius.*

*Numerus Defunctorum ab ultimo Capitulo Generali anni* 1740. *uſque ad præſens.*

EX Familia Ultràmontana obierunt in Domino Fratres 12086. Sanctimoniales verò 5628. Ex Familia autem Ciſmontana Fratres 8175. & Sanctimoniales 1222. Summa omnium Fratrum Defunctorum 20261. & Sanctimonialium 6850. quorum animæ omnium veſtrum orationibus commendantur.

*Sequuntur Suffragia.*

PRo Sanctiſsimo Domino Noſtro Benedicto XIV. ejuſque ad multos annos incolumitate, & ſoſpitate, ultra preces ab Ordine ſtatutas, & ab eodem Apoſtolicis Literis confirmatas, ſinguli Sacerdotes tres Miſſas legant.

Pro omnibus Principibus Chriſtianis Ordinem noſtrum in Ditionibus ſuis tuentibus, & promoventibus, ſinguli Sacerdotes itidem tres Miſſas legant.

Pro Eminentiſsimo & Reverendiſsimo Domino D. Hieronymo Columna apud Sanctam Sedem Ordinis Protectore amantiſsimo, quiſque Sacerdos unam Miſſam recitet.

Pro Excellentiſsimo Domino D. Marchione *de Fuente, & Sol de Cañete*, cujus beneficentia expenſæ aliquæ pro Capitulo Generali factæ fuerunt, Sacerdotes omnes celebrent unam Miſſam.

Pro pace, & concordia inter Principes Chriſtianos, extirpatione hæreſum, Fidei propagatione, victoria contra Infideles, & Eccleſiaſtici Ordinis proſperitate, duæ Miſſæ legantur a quolibet Sacerdote.

F I N I S.

WILLIAM SALLOCH
Pines Bridge Road